Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

A01 1463115

Digitized by Google

INSTITVTIONES
LINGVAE
ARABICAE

Ex diuerſis Arabum monumentis collectæ, & ad quammaximam fieri potuit breuitatem, atque ordinem reuocatæ.

Quibus addita eſt exercitatio Grammatica in Pſalmum XXXIV.

Iuſſu S. D. N. Vrbani VIII. Pont. Opt. Max. & Sacræ Congregationis de Propaganda Fide impreſſæ.

AVCTORE
PETRO METOSCITA
Sacerdote Societatis Ieſu.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III. NAPOLI
Ki 24

ROMAE,
Apud Stephanum Paulinum. 1624.

Superiorum Permiſſu.

Digitized by Google

Digitized by Google

MVTIVS VITELLESCVS,

SOCIETATIS IESV

Præpoſitus Generalis.

CVm inſtitutiones linguæ Arabicæ,*à* P. *Petro* Metoſcita,*noſtra* Societatis, *compoſitas; aliquot e noſtris,quibus id commiſſum fuit, recognouerint; ac in lucem edi poſſe probauerint; facultatem concedimus, vt typis mandentur, ſi ita* Reuerendiſs. *Domino* Viceſgerenti, *&* Reuerendiſs. *Patri* Magiſtro *Sacri* Palatij *videbitur.* In *quorum fidem has litteras manu noſtra ſubſcriptas, ac ſigillo noſtro munitas dedimus.* Romæ *7.Februarij* 1624.

Mutius Vitelleſcus.

Imprimatur ſi placet Reuerendiſs. P.M. Sacri Palatij Apoſtolici.

Alex. Epiſc.Hierac. Viceſg.

Imprimatur. Fr. Vincentius Martinellus Magiſter, & Socius Reuerendiſs. [illegible]lai Rodulphij Sacri Palatij [illegible]iſtri.

ILL.

FRANCISCO

CARD. BARBERINO

STEPHANVS PAVLINVS F.

SApientiſſimè factum eſt Ill.^{me} Princeps, vt hac in Vrbe literarum, & Religionis magiſtra, ſummorum autoritate Pontificum Typographia conſtituta ſit, qua libri peregrina conſcripti lingua imprimerētur. Etenim cum Romana è paleſtra prodire debeant bellatores illi fortiſsimi, qui prouincias non minus ſermone quàm moribus abhorrentes à noſtris, indicto ſuperſtitioni, atque impietati bello

iuſtiſ-

iuſtiſſimo, vel transfugas reuocent in caſtra ſinceræ, caſtæque Religionis, vel barbaras, & immanes legitimo Imperatori Deo ſubijciant; neceſſe omnino fuit armamentarium aperiri, ex quo profecturis ad bellum arma ſuppeterent opportuna. Hæc adeo pręcipua ſunt, notitia linguarum: cum non manu, ſed mente; non ferro, ſed calamo pugnandum ſit. Quamobrem ipſe operam meam libentiſſimè huiuſmodi libris imprimēdis contuli ſemper, & hoc maximè tempore conferam, quo magni Patrui tui Vrbani VIII. eximium, & ſingulare ſtudium Religionis longiſſimè proferēdæ non ingratos fore labores meos pollicetur. Cum igitur in libellū inciderim inſtitutionum Arabi-

cæ

cæ linguæ, occaſionem arripui tanto alacrius, quanto clarius intelligebam, non mediocrem vtilitatem, ſacris præſertim Religioſorum familijs, quibus id onus incumbit, eſſe allaturam eius linguæ notitiam, quæ nationum ſanè plurimarum vſurpatione latiſſimè patet. Autor libelli eſt Petrus Metoſcita Societatis Ieſu Sacerdos: qui licèt in Cypro natus, oriundus tamen è Syria, non priùs Græcè didicit, quàm Arabicè loqui. Atq. hūc ille ſermonē deinde Romę in Collegio Maronitarum (qua ex gente originem ducit) ita conſtanter excoluit, addita Chaldaicę, atque Hebraicæ dictionis peritia, vt ipſos Alumnos per annos complures inſtituerit, & in Romano Societatis eiuſdē

Colle-

Collegio Arabicas publicè literas profeſſus ſit. Hunc ego librũ magna cura conſcriptum, & doctorum hominum approbatione commendatum, lucem aſpicere volo Barberina ſub luce, Illuſtriſs. Princeps. Tu, qui cenſeris inter ampliſſimos Patres Fidei propagandæ curatores impoſitos, æqui bonique facies conſilium meum, & aptiſſimum publicæ ſaluti inſtrumentum non aſpernaberis. Id ſcilicet humanitas iſta abundè ſpondet: id ſanctiſſimus ardor, quo animorum bono conſultum cupis, à te ſuo iure depoſcit. Vale.

Digitized by Google

AD LECTOREM.

NOn ignoro, ò Lector, ita Arabum linguam ab Europæorum hominũ ſermone diſsidere, vt Arabicæ ipſæ regiones, ab ipſa Europa longo locorum interuallo diſtinctæ ſunt; ac propterea, vereor ne ægrè in his tractibus ſedem ponat: ſi enim Hebraica lingua extorris, ac velut profuga; licet iamdiu excepta, nondum tamen inquilina, & ciuis, ſed peregrina, atque hoſpes à pleriſque cenſetur, (nam Chaldaica, ac Syriaca vix nomẽ auditur) Arabica profectò magis aliena, barbara, atque agreſtis fortaſſe videbitur; præſertim cum æquè huius, atque Chaldaicæ, & Hebraicæ tam aſperæ, vaſtæ, hiulcæ exprimendæ ſint voces, vt vix viua magiſtri vox, vt dicitur, docere poſſet; ſed quoniam nihil præclarum, quod non idem in arduo poſitum, audendum confidenter eſt, & in obſtantes difficultates incurrendum; Nam vbi è primorum elementorum ſenticetis emerſeris, quam tibi patens aperietur aditus, non ad pretioſa ſolum totius

Orien-

Orientis commercia, ſed ad liberales omnes diſciplinas ex fontibus ipſis hauriendas: vt enim arcana ſacrarum litterarũ ſenſa, per Hebraicum ſermonem corriuata prius, & liquidiùs fluunt: ſic germana Philoſophiæ, Mathematicæ ac Medicæ artis veritas, quæ in turbido interpretum limo excurrit lutulenta, in Arabum fonte pellucida, certiùs in mentem influit; quod vt faciliùs experiri poſſis, en tibi in noua hac Grammatica, è varijs Arabum monumentis collecta, compendiariam viam & aſcenſu facilem: tu tantum enitere, & perge gradu non teſtudineo; præſertim cũ ſis tot ſummorum Pontificum, maximè nunc Vrbani viij. Pont. Max. oraculis admonitus, quibus non obtemperare ſcelus eſt areolandi. Vale.

Fr.

A.R.P. FR. FRANCISCI DONATI Rom. Ord. Præd. S. Theologiæ, ac Linguarum Oriental. Profeſſ. Carmina in laudem Authoris, & Operis.

Hebr. Epigr. ad Lectores.

קחו ספר דבר שפר
אשר חבר וגם באר
בדקדוק רב ולשון ערב
חכם לבב ואיש ערב
ראו חדש ובו ממש
להבין כל דבר יכול
לשון לועז והגרי גז
זעיר גדול ולא יבול
ולא יכור שאר חבור
אשר יקרא ולא יברא
הלא אמר ולא יגמר
לאל נורא אשר ברא
והוא המציא וגם הוציא
לאור עמים גבר תמים
בשם נודע ובכל מדע
ידות עשר בכל אומים.

Digitized by Google

Eiuſdem Syriacum Epigramma.

ܠܡܠܟܐ ܐܝܟ ܠܢܓܘܫܐ ܕܗܘܐ ܦܪܝܫ ܡܢ ܗܘܪ܀
ܕܠܝܫܘܥ ܡܫܝܚܐ ܐܦ ܠܗ ܡܘܫܐ ܦܠܐ ܘܡܫܬܪ܀
ܠܒܪ ܡܫܬܐ ܐܦ ܡܫܡܫܢܐ ܗܘܐ ܡܠܟܐ ܕܡܢ܀
ܕܫܡܠܐ ܕܫܡܐ ܡܢܗ ܐܦ ܐܬܪܗ ܠܥܠܡܝܢ ܡܫܪ܀
ܗܘܝܘܗܝ ܠܗ ܐܠܗܐ ܚܝܠܐ ܐܠܗܐ ܕܗܘ ܗܘ ܐܡܪ܀
ܩܛܠ ܫܠܘܠܐ ܠܫܪܝܪܘܬܗ ܘܦܠܛ ܡܫܚܠ ܡܫܒܪ܀
ܚܡܝܪ ܫܩܝܠܬܐ ܠܡܠܟܐ ܕܗܘܐ ܠܟܠܢܫ ܡܢܐܪ܀
ܘܪܘܚܗ ܘܫܡܐ ܕܟܠ ܫܡܫܐ ܘܟܠ ܫܡܫܐ ܡܠܬܪ܀
ܠܟܠܠ ܦܓܪܐ ܕܠܥܡܐ ܠܥܡܘܗܝ ܐܝܬ ܗܘܐ ܡܢܗ܀
ܒܪ ܡܢ ܕܡܠܟܘܬܗ ܕܫܡܐ ܠܠܥܠܡ ܕܗܘܐ ܐܦܪ܀
ܡܫܬܠܛ ܦܘܩ ܘܕܥܡܗ ܘܠܥܡܗ. ܐܦ ܗܘܐ ܐܡܪ܀
ܫܠܡܘ ܕܥܠܡܐ ܕܠܐ ܫܘܦܐ ܡܢܬܪܐ ܦܫܪ܀

Eiuſdem Arabicum Epigramma.

هذا كتاب لمن فهم   جوهرو ياقوة ودم

زمرد بافخر الكرم   لمن اكتسا به لم يعدم

فيه الفوايد بالنظم   في العلوم وماقدم

لاصحاب العلم بالقلم   لما ان العالى رسم

هذا يحبه لك عزم   فكمثل مربهواه لزم

اجنى فوايد من علم   ومن كنز العلم اغتنم

يهدا الاله لنا رحم   فى كسب الخير لنا رغم

نحمد لما قسم   يفلهن البشر وايصاوسم

Digitized by Google

Eiuſdem Græcum Epigramma.

Ἄνθεα τοῖσι κέκαστο θεηγόρος αὖ χθόνα
γλῶσσα
Θεσπεσίων ἀράβων καιρὸς ἄμερσε γέρων.
Καὶ σελίδων κατέφυρεν ὅλον σέλας. αὐτὶ
δ' ἐκείνου
Νὺξ ἐχύθη σκοτίη πάντα κατερχομένη.
Δύσβατα φρεσὶ πέλον νοέῃ τεχθέντα λοχείῃ,
Ἠ δὲ γραφέντα βίβλοις μυσοπόλων ἀνέρων.
Τοὔνεκ' ἀνὴρ ἄριστος ἐφαρμένον ἔργον ὑφήνας,
Δόχμια λεαίνων ἀτραπὸν ἐστόρεσεν.
Ἀτραπὸν εὐοδίην. καμάτων ἄτερ, ἔκτοθι
μόχθων
Τῇπερ ἔχεις σοφίης τὰ φρεσὶ μητιάας.
Ὅσσα γὰρ ἐσκέδασαν δέλτοισιν ἐν ἀπείρο-
σι φῶτες
Ἀκρόσοφοι, τόσσοις ἥδε πέπληστο βίβλος.
Τοὔνεκεν εὐφρονέων σχεδὸν ἔρχεο. τῇ γὰρ
ὁδεύσας
Οἶμον ἐφαπλώσεις ἀλλοτρίων σελίδων.

Eiuſdem Latinum Epigramma.

Iactet Hydaſpæas Parthus crudelis arenas,
Et celer auriferos iactet Iberus agros:
Iactet Idumæis Libanum qui paſcitur aruis,
Et rutilas Hebri Sarmata iactet aquas:
Thura hilari clamore canat ſua potor Orōtis,
Indus & immenſas laudet Achatis opes:
Ipſe canam, non Aſſyriȩ velut incola terræ,
Dum creſcit medijs herba vapora ſolis;
Chriſtiadum ſed more Petrum celebrabo magiſtrum,
Tot qui Arabū linguæ præmia diues habet.

Aliud eiuſdem Epigramma.

Theſauros Arabum Latias inuexit in vrbes,
Vaſtauit victor qui fera Regna manu;
Aſt Arabum linguā domito nō vexit ab Orbe:
Quam populis liquit, tu modo Petre vehis.

Eiuſdem in Zoilum Diſtichon.

Zoile vane vale, ſalue omnis candide cenſor,
Candide cenſor aue, Zoile vane vale.

INSTI-

INSTITVTIONVM Linguæ Arabicæ

De Nomine, & Figura Arabicarum litterarum.

LITTERAE apud Arabes quæ أَلْحُرُوفُ alhhorupho appellantur, ſunt viginti & octo, quarum numerum, nomina, & figuras ſubiecta tabella indicabit.

Poteſtas.	Nomen		Figura	
A	Aliph	أَلِفٌ	ا	1
B	Be	بَاءٌ	ب	2
T	Te	تَاءٌ	ت	3
Th	The	ثَاءٌ	ث	4
G	Gim	جِيمٌ	ج	5
Hh	Hha	حَاءٌ	ح	6

Digitized by Google

Ch	Cha	خَآءٌ	خ	7
D	Dal	دَالْ	د	8
Dh	Dhal	ذَالْ	ذ	9
R	Re	رَآءٌ	ر	10
Z	Zain	زَايْنْ	ز	11
S	Sin	سِينْ	س	12
Sc	Scin	شِينْ	ش	13
Sſ	Sſad	صَادْ	ص	14
Dh	Dhad	ضَادْ	ض	15
Tt	Tta	طَآءٌ	ط	16
Dh	Dha	ظَآءٌ	ظ	17
Aa لا	Ain	عَيْنْ	ع	18
Gh	Ghain	غَيْنْ	غ	19
F	Fe	فَآءٌ	ف	20
Q	Qaph	قَافْ	ق	21

K	Kaph	كَاف	ك	22
L	Lam	لَامْ	ل	23
M	Mim	مِيمْ	م	24
N	Nun	نُونْ	ن	25
H	He	هَاءْ	ه	26
V	Vau	وَاوْ	و	27
La	Lamaliph	لَامْ أَلِيفْ	لا	
I	Ie	يَاءْ	ي	28

quæ omnes ſunt conſonantes.

De Poteſtate Arabicarum Litterarum. Cap. II.

ARABVM Litteræ, ſicut Chaldeorum, & Hebræorum in quinque diuerſas claſses diuiduntur, pro numero videlicet inſtrumentorum vocis.

Primo ſunt Litteræ اَلشَّفِيَّات Aſciaph-

hiati, ideſt *labiales*, quæ ſunt quatuor ب ف م و

Secundo الأَسلِيَاتِ alasliati, ideſt *ſibilantes*, ſiue dentium, quæ ſunt quatuor ز س ش ص

Tertio اللِّسانيَّاتِ alleſsaniati, ideſt *linguæ*, & ſunt decem
د ذ ت ث ر ض ط ظ ل ن

Quarto الشَّجرِيَاتِ Aſciagriati, ideſt, *palatinæ*, quæ ſunt quatuor ج ق ك ى

Quinto الحَلقيَاتِ Alhhalqijati, ideſt *gutturales*, quæ ſunt ſex ا ع ح غ ح خ

Ex quibus omnibus aliqu r difficilem habent modum pronunciandi; nam gutturales, ita arduam proferendi rationem habent, vt niſi natura, aut viua vox magiſtri doceat, ſcripto exprimi nequaquam rite poſsint.

Harum prima eſt أَلِفْ ا Aliph, quæ in

ſum-

Digitized by Google

ſummo gutture formatur, reſpondetque

hebræorum; Secunda eſt ألهاء alhao, quæ paulo inferius quam aliph in gutture formatur, reſpondetq; ה hebræorũ, & aſpirationi, h. Tertia eſt العين alaino, quæ vno gradu inferius quam alhao, ſed denſius cum quodam gutturis fragore ad inſtar vocis vituli matrem vocantis, ſine narium adminiculo in gutture pronuncianda eſt, reſpondetque ע hebræorum.

Quarta eſt الحاء alhhao, aſpiratio denſiſsima, & ex imo gutture euomenda cum raucedine, reſpondetque ח hæbræorum.

Quinta eſt الغين alghāino, quæ in ſummo gutture cum narium adminiculo profertur. Sexta eſt الخاء alchao, quæ etiam in ipſo gutture cum aſpiratione profertur, reſpondetque כ hebræorum, ſine daghes.

Palatinæ non ita arduæ ſunt. Earumq. prima caph ك in ea palati parte formatur quæ proxima linguæ radici eſt; reſ-

pondetque כ heb. cum daghes.

ق qaph, verſus medium palati profertur, ad inſtar vocem corui, reſpondetq; ק heb.

ى ie, in media lingua, & ea parte palati, quæ ei vicina eſt pronunciatur, reſpondetque י heb.

ج gim, pronunciatur in principio linguæ, & ea palati parte quæ deſuper eſt.

Litteræ vero linguæ longè faciliores ſunt, & quidem د dal, in apice linguæ tangentes palatum deſuper pronunciamus, reſpondetque ד heb. cum daghes.

ذ dhal, in apice quoq linguæ tangentes ſuperiores dentes, reſpondetque ד heb. cum rafe.

ت te, lingua palatum pulſantes reſpondetque ת heb. cum daghes.

ث the, lingua tangendo ſuperiores dentes reſpondetq; ת ſine daghes aut ϑ thita Græcorum.

ر re, in media parte linguæ palatum deſuper tangentes.

ض dhad, & ظ dha, eadem vtriuſque eſt prolatio, tangentes lingua ſuperiores dentes

dentes, deinde palatum.

ط tta, lingua palatum concutientes cum fragore, inſtar coruorum vocis reſpondetque ט heb.

ل lam, profertur, lingua palatum tangentes toto ore aperto, reſpondetque ל heb.

ن nun, lingua ſuperiorem partem dentium tangendo, reſpondetque נ heb.

Sibilantes, ſiue dentium dicuntur, quia lingua dentes tangimus dum pronunciamus.

Harum prima س ſin, cum tactu inferiorum, ac ſuperiorum dentium. & linguæ palato profertur, reſpondetq; שׂ heb. cum puncto in ſiniſtro latere.

ش ſcin, denſius, quam ſin, retrahentes ſibilum intra dentes, reſpondetque שׁ heb. cum puncto in dextero cornu.

ص ſsad, profertur duplicando litteras ſs, inter dentes reſpondetq; צ heb. ſine vlla mixtione litteræ t.

ز zain in fine linguæ inter dentes ſibilantes reſpondetque ז heb.

De labialibus litteris nihil eſt quod dicamus, nullã enim difficultatẽ patiuntur.

Præter iam enumeratas litterarum diuiſiones, adhuc Arabes diuidunt ſuas litteras; in أَلشَّمْسِيَاتِ aſciamſiati, ideſt, *ſolares*, quæ ſunt tredecim . ن ظ ط ض ص ش س ز ر ذ د ث ت In أَلقَمْرِيَاتِ alqamriati, ideſt, *lunares*, quæ quindecim numerantur ي ه و م ل ك ق ف غ ع خ ح ج ب ا

Et rurſus in أَلاَصْلِيَاتِ allaſsliati, ideſt *radicales*, ex quibus nimirum radices tam nominum, quàm verborum conſtant; & numerantur quindecim, videlicet ق غ ع ظ ط ض ص ش ز ر ذ خ ح ج ث

Et in أَلمُسْتَفْعَلاَتِ almoſtafeelati, ideſt, *ſeruiles*, quibus ſæpe numero tam in nomine, quàm in verbo, aliiſq orationis partibus vti conſueuimus, & tredecim ſunt, nimirum ي ه و ن م ل ك ف س د ت ب ا

Quid autem ſit, has litteras eſſe ſolares, vel lunares, dicemus ſuo loco inferius, cum nota taſcdid agemus. *De*

De Figuris Arabicarum Litterarum. Cap. III.


ADVERTENDAE ſunt diligenter figurę litterarum, ne inter legendum vna pro alia ſumatur: ſunt enim hæ ſibi ſimiles, ſoliſque punctis inuicem diſtinctę ب ت ث ج ح خ &c. vt infra.

Prętерea aduertendum eſt Arabum litteras more Chaldæorum ſibi inuicem ligari, atque connecti, quaſdam quidem cum ſolis præcedentibus & ſunt ا د ذ ر ز و alias verò cum pręcedentibus & conſequētibus ſimul, vt ſunt reliquę omnes alphabeti litteræ, & quidem litteræ inchoantes, & dictionē terminātes ex uno tantū latere uinciri poſsūt. At quæ in medio ſunt inſertæ dictionis, utroq. latere connecti neceſse eſt, exceptis ſex iā enumeratis, quæ nulli litteræ coniungi poſsunt. ſolę ر, & ذ poſsunt habere ـه h in fine, ſic ره ده. Quo vero pacto hæc connexio fiat, ſubiecta tabella indicabit.

In

In Dictionis

	Fine.	Medio	Principio
	ـا	ـا	ا
ببب	ـب ب	ـبـ ـبـ	بـ بـ
تتت	ـت ت	ـتـ ـتـ	تـ تـ
ثثث	ـث ث	ـثـ ـثـ	ثـ ثـ
ججج	ـج ج	ـجـ ـجـ	جـ جـ
ححح	ـح ح	ـحـ ـحـ	حـ حـ
خخخ	ـخ خ	ـخـ ـخـ	خـ خـ
ـد		ـد	د
ـذ		ـذ	ذ
ر ر		ـر	ر ر
ز ز		ـز	ز ز
سسس	ـس س	ـسـ	سـ
ششش	ـش ش	ـشـ	شـ
صصص	ـص ص	ـصـ	صـ
ضضض	ـض ض	ـضـ	ضـ
ططط	ـط	ـطـ	طـ
ظظظ	ـظ	ـظـ	ظـ
ععع	ـع ع	ـعـ	عـ
غغغ	ـغ غ	ـغـ	غـ
ففف	ـف ف	ـفـ	فـ
ققق	ـق ق	ـقـ	قـ
ككك	ـك ك	ـكـ ـكـ	كـ كـ
			للل



Ex his apparet, quo modo vnaquæq littera cum alia copuletur. Et quoniam aliqui ſunt charateres, qui ad placitum ſcriptoris alio, atque alio modo deſcribi ſolent: Ij ex varia librorum lectione cerni poſsunt. Quidam cum Turcæ, tum Arabes pro Aliph legunt Eliph; & pro Be legunt Ba; pro Te Ta; pro Dhal Dhel; pro Re Ra, Ri; pro Zain, Ze; pro Fe Fa; ſed vtraque lectio placet. Denique ſciendum eſt Arabum litteras idem ſignificare, quod Chaldæorum, & Hebræorum: quia ab eis nomen acceperunt, & ſignificationem, non tamen numerum, quia pro numero non litteris vtuntur, vt Chaldæi, & Hebræi ſolent: ſed figuris diſtinctis a litteris, vt latini. de quibus inferius agemus fuſius.

De

De Nomine, & Figura Arabicarum Vocalium. Cap. IIII.

VOCALES Arabũ quas الحركات alhharcata vocant, ideſt motiones, quia nimirum conſonãtibus impoſitæ eas moueri, & ſonum edere cogunt, figuras non habent niſi duas nimirum ـَ & ـُ, nomen vero triplex virtute tamen quinq; vocalibus ęquiualent, nimirum A, E, I, O, V.

Primę itaque vocalis figura eſt quædam tranſuerſa linea ſupra litteram collocata ſic بَ licet ab africanis recta iaciatur, vt بَ & vocatur الفتح alphathho, ideſt *apertio*, quia aperit conſonantem, ſupra quam cadit. Solet etiam dici النصب annasbo, ideſt *erectio*. Sed hoc poſteriori nomine pręcipuę in verbis vtimur; Vſurpari autem ſolet hęc vocalis figura interdum pro A,

A, interdum pro E: Pro A, quidem, quoties eſt in fine cuiuſcunq; dictionis, vt نصر naſara *adiuuit*: vel ſupra notā التشديد attaſcdidi, ideſt *grauaminis*, de qua infra, vt الربّ arrabba *dominum*: vel quando collocatur ſuper litteras ا aliph vt الله al- laho *Deus*, & و vau vt والله vallaho, *& Deus* vel ſuper ى ie vt ينصر ianſoro, idque præſertim, cum poſt eas ſequitur alia littera quieſcens, & cum eſt ſuper notam الهمزة alhamzati, de qua infra, vt أبانا abana *pater noſter*: deniq; cum eſt ſuper ſex gutturales, vt العدل الحكمة aladelo *iuſtitia* & alhhacmato *medicina*. Sumitur verò pro vocali, E, & dicitur الكسر alcheſro, quandocunque collocatur, vel ſupra primas, vel ſupra medias dictionum litteras, velut الكلام alchalamo, cum

cũ verò hæc eadẽ vocalis figura literis ſub ſcribitur ſic بِ &ab africanis بِ vocatur ٱلْكَسْرُ alchaſro, ideſt *fractio*; vocatur etiam ٱلْجَرُّ *contractio*, præcipue in verbis: Item ٱلْخَفْضُ alchaphdo *calcatio*, uel depreſsio; & tũc fungitur munere vocalium I, aut E. I, quidem cum in fine dictionis locum tenet, ut فِي ٱلْأَرْضِ fillardhi *in terra*, aut ſub pręcedentem litteram ى ie ـى vt ٱلْإِنْجِيلُ alangilo *Euangelium*. Valet, E, quando eſt in principio, aut in media dictione, vt سَبِّحْ ſabehh *benedic*, & فِرَّ ferr *aduola*.

Secunda vocalis figura eſt inſtar litterę و Vau, ſola enim paruitate ab ea differt, ſic ـُ Collocatur verò ſemper ſuper litteras ſic بُ. Vocaturque ٱلضَّمُّ addhammo, ideſt *collectio*: interdum dici-

dicitur etiam اَلرَّفْع arrapho *eleuatio* ; geritque vices vocalium O , vel V. O quidem, quoties littera, ſuper quam cadit, non prçcedit litteram و Vau , vt يَنْصُرُ ianſoro *iuuat*, vel iuuabit : à quibuſdam tamen orientalibus , cum eſt in fine dictionis, legitur vt V, veluti كَتَبْتُ catabtu *ſcripſi*.

At quando collocatur ſuper litteram, quam immediatè ſequitur و Vau, legitur vt V, veluti يَرُوا iaru *vident* , &c.

Prçterea ſolent Arabes has vocalium figuras, geminas in fine dictionum conſcribere, neque ſemper, ſed certa lege: atque hac geminatione litteram ن nun occultè exprimere nitētes; hçc autem geminatio vocatur ab eis اَلتَّنْوِين attanuino, quam nunnationem ficto vocabulo diceremus ab eorum littera ن nū nomen formantes: hæc autem Nunnatio triplex eſt.

Prima vocatur تَنْوِين اَلْفَتْح tanuinal-pha-

phathhi, eo quod ex duplici, الْفَتْح alphathi, ideſt apertione, vocali nimirum, A, conſtet ſic بًا ban; hac nunnatione vti ſolemus quando vltima nominum littera eſt uel ا aliph. vel ة h. uel ى ie, ſed cautè, vt infra dicemus.

Secunda Nunnatio vocatur تَنْوِين الْخَفْض tannuin alchafdi, eo quod ex duplici figura ſub litteris conſtet ſic بٍ bin, & ſub omnibus litteris poteſt poni excepta ا aliph.

Tertia Nunnatio uocatur تَنْوِين الضَّمّ tanuin addhammi, eo quod ex duplici ſecunda figura conſtet ſic بٌ bon. Circa huius tanuin, ſiue nunnationis uſum hęc in uniuerſum dici poſsunt.

Primo, prǽter iam enumeratas combinationes, ideſt بًا ban, & بٍ bin & بٌ bon, non aſsignari alias, itaq. ben, aut bun,

bun non eſt apud Arabes, neque alio nomine vocari ſolet, præter hæc tria iam dicta. non igitur dicimus تَنْوِينَ ٱلنَّصْبِ tanuinannasbi &c.

Secundo, quoties adeſt articulus ال al expellitur tanuin, de quo inferius.

Tertio, quando ſequens nomen incipit à littera ا aliph.

Quarto, neque in vocatiuo vſurpatur de quo ſuo loco.

Quinto, neque in nominibus proprijs, quę numero multitudinis carent vt أَبْرَاهِيم abrahim &c.

Sexto, neque cum adſunt pronomina affixa, de quibus infra.

Septimo, neque in comparatiuo, & ſuperlatiuo.

Octauo denique, nec verba admittunt, quia cum opus erit; non occultè, ſed apertè ن nun, recipiunt vt يَنْصُرُونَ ianſoruna *adiuuant*, vel *adiuuabunt*

Vltimo تَنْوِينَ ٱلضَّمِّ tanuinaddammi

 id eſt

ideſt بٌ bon in ſolis rectis caſibus vtendum erit تَنْوِينَ ٱلْفَتْحِ in ſolo nominatiuo, & accuſatiuo; In nominatiuo quidem, quoties nomẽ, vel participialiter ſumitur, vt جَاءَ رَاكِبًا *venit equitans*: vel aduerbialiter, vt فَرَّحَنَا كَثِيرًا *fecit nos lætari valde*. In accuſatiuo verò quando vtimur ٱلْمَصْدَرُ almaſdaro, ideſt *nomine* indeclinabiliter ſumpto, de quo ſuo loco, vt ضَرَبَنَا ضَرْبَةً dharabana dharbatan, *verberauit nos verberatione*, ſed de re hac in verbis fuſiùs تَنْوِينَ ٱلْخَفْضِ tanuinal alchafdhi ideſt بٍ in reliquis obliquis caſibus ſine metu vti poterimus.

Quo autem pacto conſonantes vna cum vocalibus ſyllabam componant, ſubiecta exempla indicant.

be

بَ بِ بُ بًا بٍ بٌ

bon, bin, ban, bo, bu, bi, be, ba, be

جَ جِ جُ جًا جٍ جٌ

gion, gin gian, gio, giu. gi, ge. gia,ge

دَ دِ دُ دًا دٍ دٌ

don, din, dan, do,du, di, de. da, de

زَ زِ زُ زًا زٍ زٌ

zon, zin, zan, zo,zu, zi, ze, za, ze

سَ سِ سُ سًا سٍ سٌ

ſan, ſin, ſon, ſo,ſu, ſi, ſe, ſa, ſe

فَ فِ فُ فًا فٍ فٌ

fon, fin, fan, fo,fu, fi,fe, fa,fe

لَ لِ لُ لاً لٍ لٌ

lon, lin, lan, lo,lu, li,le, la,le

مَ مِ مُ مًا مٍ مٌ

mon, min, man, mo, mu, mi,me, ma,me

نَ نِ نُ نًا نٍ نٌ

non, nin, nan, nu,no, ni,ne,na,ne
& ſic in reliquis.

Vulgus vltimam vocalem vbique demit, vt ex كَتَابٌ catabon, *liber*, dicit catab, & ex كَتَبَ cataba, *ſcripſit*, dicit كَتَبْ catab, &c.

Quo modo autem vna conſonans cum alia, & cum vocali copuletur, ex infra poſitis apparet.

لَمَّا كَانَ نَاصِرًا هُوَ حَيْنِيدًا

hhainidan. hua naſeran cana lamma

أَنْتَ أَللَّهُ أَمَرْتَ لِنَا نَعْبُدُكَ

naabadoca, lena, amarta allaho anta

ita in omnibus erit compoſitio contexenda.

Digitized by Google

De quinque notis quibus Arabes inter legendum vtuntur. *Cap. V.*

QVINQVE ſunt apud Arabes notæ, quæ licet vocales minimè ſint, ad recte tamen, integreque legendum plurimum iuuant. Quarum

Prima vocatur أَلْهَمْزَةُ alhamzato, ideſt punctio, cuius forma eſt ad inſtar litteræ ع cum recta deorſum cauda in dextero latere ſic, ء reſpondetque atnahh hebr. ſolique litterę, ا, aliph tribuitur, & ſæpenumero pro ipſamet aliph pręſertim in verbis vſurpatur: hinc eſt, quòd aliquando ſola abſque ipſa ا aliph cernatur, velut, إِرَى era, *vide*, & هَوَى iaua *ſoluit*, &c.

Eam autem vbique aſciſcit ا aliph quoties eſt mobilis, id verò contingit quando incipiendum erit ab aliqua dictione, quæ ſit principium alicuius ſententiæ, & eius prima littera ſit aliph,

vt v.g. أَبُونَا ٱلَّذِي فِي *Pater noſter, qui, in*, &c. Item quando ſermo eſt inciſus, vt أَنْتَ ضَرَبْتَ anta dharabta, *tu verberaſti*. أَنَا غَفَرْتُ ana gafarto, *ego pepercì*.

Secunda nota vocatur ٱلْوَصْلُ aluaslo ideſt *vnio*, reſpondetque maqaph heb. eius figura ſimilis eſt accentui hebr. zarqua, ſic ٱ ſuper aliph. Soli quoque litteræ aliph tribuitur, ideo vocatur etiam هَمْزَةُ ٱلْوَصْلِ hamzatol vasli, ideſt, *vnio cum aliph*, quia nunquam eſt ſine ea, idque ſolùm accidit in principio dictionis ſequentis, ideſt, ſi poſt præcedentem dictionem ſequatur alia aliqua dictio, cuius prima ſit aliph, tunc erit locus huius notæ, vt أَبُونَا ٱلَّذِي vbi prima dictio habet primam notam, quia eſt principium ſermonis, ſecunda ſecundam, quia

quia eam præcedit alia, itaque hæc ſecunda nota ſolùm aliph comitatur *in capite*, quando quieſcit; tunc autem dicitur quieſcere in capite dictionis, quando alia aliqua dictio iam præceſsit. Quod ſi dictioni incipienti ab aliph, habenti hanc ſecundam notam, addatur articulus ال al, vt ſæpe fit; de quo ſuo loco infrà dicemus. Hæc ſecunda retento ſuo loco mutatur in primam notam, & aliph ipſius articuli quieſcit, quando præit aliqua dictio, vt فِي ٱلْأَرْضِ fillardhi *in terra*, vbi prima eſt ſecunda, & ſecunda eſt prima nota; ſi autem prima aliph articuli eſt mobilis, quia nimirum nihil præceſsit, ei debetur prima etiam nota, vt أَلْأَرْضُ ambæ primæ notæ in ſua ſede, ſed ſatis eſt ſi prima ſola notetur actu in capite.

Tertia nota vocatur أَلتَّشْدِيدُ attaſcdido, ideſt, *robur*. Vocatur etiam أَلتَّثْقِيلُ attadhqilo, ideſt, *grauamen*,

 quia

quia dum duplicat, roborat, atque vt onus imponitur litteris; ſolet etiam vocari præcipue in verbis الأدغام alladgamo, id eſt, *immiſſio*, quia immittitur ſuper conſonantes, eius figura eſt ad formam litteræ ـ ſine ſua cauda, vel certe vt ש ſcin Hebr. illius eſt duplicare conſonantes, in quas incidit, & duplicatas diuidere, ac alteram præcedenti, alteram ſequenti diſtribuere; reſpondetq. daghes forti hebr. Omnes litteræ excepta ا aliph eam recipere poſsunt, ſed frequentiſsimè ſolares, de quibus ſupra dictum eſt: quæ cum habent articulum ال al, & ſunt in principio dictionis, duplicantur hac nota. Et ſi præcedat alia dictio, totus articulus quieſcit, ac ſi ibi non eſset, & ſolaris diſtribuitur vna precedenti, altera ſequenti ſyllabę, vt في السماء fiſsamai, *in cælo*. Si autem nulla præcedit dictio, ſola littera ل lam art. quieſcit, & aliph pronunciatur, vt الصلاة aſsalato.

Quarta

Quarta nota vocatur أَلْمَدّ almaddo, ideſt, *extenſio*. Eius figura eſt ad inſtar aliph paruo ductu decliui verſus dexteram in tenuem caudã deſinens, ſic ـآ ſoliq. aliph aliquando in medio ſed ſępius in fine ſociatur dictionis; denotatque eam vel duplicandam; quia, cum ſuperiorem notam reſpuat, hac pro ea gaudet; vel longius vt vocalis longa eſſe pronunciandam, vt جَآءَ giaa *venit*.

Quinta nota vocatur أَلْجَزْمُ agiazmo, ideſt, *correptio*, quia demit vocalem, vocatur etiam أَلْوَقْفُ aluaqfo, ideſt *quies*, quia dum vocalem à conſonante demit, eam quieſcere cogit, & vt poſſit legi ad præcedentem ſillabam retorquet. Eius figura ſimilis eſt Omicron Græcorum, ſic ο, vel ſemicirculo, velut Ypſilon ſic υ. Differt autem huius notæ officium à munere ſecundæ notę iam dictę, quia illius eſt, non ſolùm uocalem auferre à ſola littera aliph, ſed eam ita mutam reddere, ac ſi ibi minimè adeſſet: hęc non ſolum

lum ab aliph, ſed ab omnibus litteris uocalem demit, nec omnino mutas reddit; ſed proprio ſono retento ad præcedētem ſyllabam reuocat, ueluti اَلْجَزْمُ ubi ز z, reuocatur ad ſyllabam a, & اَلْوَقْفُ aluuqfo ubi ق, q, retracta eſt ad uau; licèt aliquādo ſub hac etiam nota, tum aliph (ſed nō in principio dictionis; nā id ſolius eſt ſecundę notæ) tum aliæ etiam litteræ, ita quieſcunt, ac ſi ibi minimè adeſſent. ut رَمَى rama *proiecit* عَلَى ala, *ſuper* &c. Ex his colligi poteſt duplicem quietem eſſe litteris, alteram, quando ita quieſcunt, ac ſi ibi minimè adeſſent, & hæc uocatur quies prima. Alteram, quando proprio ſono retento ad præcedentem ſyllabam retrahuntur: & hæc uocatur quies ſecunda. Et hæc de litteris ſatis dicta ſint.

PARS SECVNDA

De Partibus Orationis.

PARTES orationis ſicut apud Chaldęos,& Hebręos, ita apud Arabes tres eſse dicuntur, quæ ab eis vocantur اقسام الكلام aqſamalchalami, videlicet الاسم alaſmo, *nomen*, الفعل alphaalo *verbum*,& والحرف valh harpho, *littera*, ſiue *dictio*. Porrò reliquas partes nomini intexunt, & dictioni. Cũm nomine pronomen annectunt,quod uocant الاسم المضمر alaſmal modhmara ideſt *nomen peſornale*: Item participium quod vocant الاسم الفاعل alaſmal faela ideſt *nomen agens*; & quamuis nomen agens appellent, non tam quodcumque nomen intelligunt, ſed quod ex verbis formatur, & quod ſæpe caſus ſui verbi admittit

mittit pro ipſo verbo vſurpatur; licet declinetur more nominum, & formam nominis habeat.

Cum verbo nihil iungunt.

Reliquas partes اَلْحُرُوفَ alhhorupha appellant, ideſt *dictionem*. Primum itaque de nomine agamus, deinde de verbo, atque alijs orationis partibus, poſtremò de ſyntaxi, metro, & legendi exercitatione.

De Nomine. Cap. I.

NOMINI in communi tria accidunt.

Genus, quod vocatur اَلْجِنْس algenſo.

Numerus, qui uocatur العدد aladedo.

Caſus, qui vocantur الاعراب alaraba.

Genus triplex maſ. quod dicitur اَلْمُذَكَّر almadachero.

Fæmi-

Digitized by Google

Fœmininum quod dicitur المؤنث almo-uannadho.

Commune quod vocatur المشترك al-maſctaroco.

Neutro carent, ſed eius loco modo maſ. modo fæm. vſurpant.

Maſculina ſing.num.terminantur quouis modo præter quã in litteram ة h, cum duobus punctis vt الرجل arragiolo *vir*, الحيوان alhhaiuano *animal* الانسان alanſano *homo* &c.

Fæminina ſingularia vt plurimum deſinunt in litterã ة h cum punctis, vt المراة alamrato *mulier* الشجرة aſsagrato *arbor*. الثمرة althamrato *fructus*. &c.

Multa ex maſculinis redduntur fœminina, per ſolam additionem ة h in vltima, vt المثال المثالة almethalo, almethalato, *fabula, ſimilitudo*.

Com-

Communia more maſculinorum terminationem habent, vt الْعَكْسُ alcaſo *calix*.

Numeri tres.

Singularis, qui vocatur الْمُفْرَدُ almofrado.

Pluralis الْجَمْعُ algiamoho.

Dualis الْمُثَنَّى almodhnio.

Singularia itaque maſc. nullam certam habent conſonantium terminationem; nam quas vocales habere debeant omnia nomina; cuiuſcunque generis, ac numeri ſint, dicemus inferius.

Singularia fœm. ut plurimum litteram ة h cum duobus punctis in fine recipiunt, ut dictum eſt. Excipiuntur tamen complura, quæ foeminina cum ſint; maſculinorum habent terminationem ut النَّفْسُ annafso, *anima* الارضُ allardho, *terra*; الطَّرِيقُ attariqo, *via*. النَّارُ annaro, *ignis*

ignis, البير albiro, *puteus*, الحقل alhaqlo, *ager*, الام alamo, *mater*, & alia nonnulla.

Præterea quæcumque natura ſunt gemina, foem. ſunt, ut اليد aliaddo *manus*. الرجل arroglo, *pes*. العين alaino, *oculus*. الاذن aladno, *auris*.

Item omnia nomina urbium, ut يروسليم Hieruſalim, *Hieroſolyma*. الشام Aſciama, *Damaſcus*. Et nomina Regionum, & prouinciarnm, ut سوريا *Syria*. Prouinciarum, ut يطاليا ittalia, *Italia*.

Inſularum, ut قبرس qobros Cyprus, &c. quocunque terminentur modo foemin. ſunt.

Pluralia maſculinorum nulla adhuc certa lege uinciri potuerunt, nam quædam recipiunt litteram ة h more foem. ſin-

ſingularium, vt أَلْكَهْنَةُ alcohneto, *Sacerdotes*. à ſing. كَاهِنٌ cahenon *Sacerdos*. كَتَبَةٌ cotbaton, *ſcriba*, à ſingular. كَاتِبٌ catebon *ſcriba*.

Præterea quædam maſc. ſing. in plur. fiunt foem. & foem. terminationem ſibi aſciſcunt, ut أَلْأَصْوَاتُ alaſsuato, *voces*, à ſing. أَلصَّوْتُ aſsauto, *vox*. أَلْأَمْوَاتُ alamuato *mortes*, à ſing. مَوْتٌ *mors*.

Pluralia fœminina, quæ ſingulari numero habent h ة in fine, eam mutant in ت præcedente aliph, ut à ſing. عَلَامَةٌ alameton, *ſignum*, plur. عَلَامَاتٌ alamato, *ſigna*. آيَةٌ aiaton, *miraculum*, آيَاتٌ aiaton, *miracula*. أَلشَّجَرَةُ aſciagrato, *arbor*, أَلشَّجَرَاتُ aſciagrato *arbores*, &c.

Quædam

Quædam tamen id non obſeruant: ة h in plu. non mutant, ſed perdunt; & maſculinam formam ſibi aſciſcunt: non tamen genus uariant, vt اَلْمُدُنُ almodno *vrbes*, à ſing. اَلْمَدِينَةُ almadinato, اَلرُّكَبُ arrocbo, *genua*, à ſing. اَلرُّكْبَةُ arrocbato اَلسَّحَابُ aſsahhabo, *nubes*, اَلسَّحَابَةُ aſsahhabato, *nubes*; & multa ſimilia.

Porrò pluralia, cuiuſuis gen. ſint adhuc apud Arabes duplex nomen habent. Alterum. اَلْجَمْعُ اَلسَّالِمُ algiamàſsalemo, ideſt, *plùrale integrum*, cum nimirum ſeruatur tota compoſitio nominis ſingularis, licet addantur aliquæ ſyllabæ in fine dictionis, vt fiat plurale veluti اَلصَّدِيقِينَ aſsad iqiina, *amici*: hinc ſpectant omnia fęm. quę mutant ة h ſing. in

ات at, plu. ut اَلْمَثَالَاتُ almethalato *parabolæ*, عَلَامَاتُ alamato *ſigna*, & similia; in quibus non fit variatio singularis; Si autem ſtructura ſingularis aliquo modo variatur, vocabitur اَلْجَمْعُ اَلتَّكْسِيرِ algiamottacſiri ideſt *plur fractionis*, quia frangitur ſtructura sing. dum vel vocalis, vel conſonans mutatur: idque contingere poteſt primo per additionem conſonantium, & vocalium simul vt رُوْحٌ ruhhon, *ſpiritus*, أَرْوَاحٌ aruahhon. plu. *ſpiritus*, اَلْقَلْبُ alqalbon, *cor*, اَلْأَقْلُوبُ alaqlobo *corda*, &c.

Secundo per detractionem conſonantium & vocalium, vt اَلسَّفِينَةُ aſsafinato, *nauis*, اَلسُّفْنُ aſsofno *naues*; اَلْمَدِينَةُ almodinato *vrbs*, اَلْمُدْنُ almodno *vrbes*.

Tertio

Tertio, per ſolam mutationem vocalium, vt الأَسَدُ allaſedo, *leo*, الأُسُدُ allaſodo, *leones*.

Quarto, per mutationem conſonantium, & vocalium, vt الكَاسُ alcaſo, *calix*, الكُؤُوسُ alcuaſo, *calices*. الرَّاسُ arraſo, *caput*, الرُّؤُوسُ arruaſo, *capita*. &c.

Dualia duplicem ſortiuntur terminationem, vel in انِ ani, ideſt in litteram ن nun, cum vocali I, præcedente aliph, cui antecedit vocalis A, vt الرَّبَّانِ arrabani, *duo domini*, الرَّجُلَانِ arragiolani, *duo viri*, &c. Vel in aini, ideſt in litteram ن nun, cum vocali I, præcedente littera ي ie, quam vocalis A antecedat, vt الرَّبَّيْنِ arrabaini, الرَّجُلَيْنِ arra-

Digitized by Google

arragiolaini. Hoc poſteriori modo ſolùm in obliquis vtimur; priori verò ſolùm in recto; foeminina habentia ة h mutant in ت ante aliph dualis, vt اَلْعَنْزَاتَانِ *duæ capræ*, اَلزَّيْتُونَاتَانِ azaitunatani *duæ oliuæ*, اَلآيَاتَانِ allaiataini, *duo miracula*.

Communia more maſc. vt اَلْكَاسَانِ alcaſani, &c.

Caſus ſunt ſex.

Nominatiuus, qui dicitur اَلْمُبْتَدَ almobtada.

Genitiuus اَلْإِضَافَةُ alladhafeto.

Datiuus اَلْمَفْعُولُ لِأَجْلِهِ almafulolaglahi.

Accuſatiuus اَلْمَفْعُولُ بِهِ almafulobehi.

Vocatiuus اَلْمُنَادَى almanadio.

Abla-

Ablatiuus المفعول معه almaſulo maahi.

Nominatiuus ſolet recipere articulum ال al in initio nominum cuiuſcunque generis, ac numeri ſint; quem articulum etiam reliquæ partes orationis admittere poſſunt, etiam ipſius alphabeti litteræ. verbo excepto, illum tamen reſpuunt nomina propria, quæ numero multitudinis carent, vt ابراهيم *Abraam* اسحق *Iſaac*, &c.

Articulus propriè cõuenit rebus,& perſonis notis, vt articulus *il*,apud Italos,& *ò* apud Græcos,vt قال الرسول qalar raſulo, *dixit Apoſtolus*, ideſt Paulus.

قرا التورة qarat taurata, *legit ſcripturam*:vſus tamen factum eſt, ut alia etiam omnia articulum poſſideant, qui articulus in obliquis etiam caſibus uſurpari ſolet,pr ter quam in datiuo cui, eius loco, uel unam, uel duplicem ل lam, inſcribere ſolemus, idem etiam in accuſandi ca-

Digitized by Google

ſu contingit aliquando, vt ضَرَبَ ٱلرَّجُلَ *verberauit hominem.* وَٱلْحَمْدُ لِلرَّبِّ ualmagdollarabbi *laus Domino.*

Vocatiuus cum habet ſolum aduerbium يا, poteſt recipere, uel non recipere articulum: ſed cum duo aduerbia uocandi concurrunt, ut ſæpe fit, ſemper recipit; ablatiuus nominatiuum ſequitur: Aliquando caſibus non cohæret articulus, cum ſunt duo nomina ſimul, & alterum eorum habet affixum, ideſt aliquam litteram pronominum, ut كِتَابُ أَبُوكَ cataba buca, *liber patris tui*; ſi autem abeſt affixum, tunc quod eſt genitiui caſus recipere articulum conſueuit, ut كِتَابُ ٱلْقُدَّسِ catabal qaddasi, *liber miſsæ*; niſi ſit nomen proprium, tunc enim utrumque eo carebit, ut رَسَالَةُ بُولُسِ raſaleto bauloſi, *epiſtola Pauli*. Oppoſitum eſt ſi duo nomina

Digitized by Google

mina ſint nota, uel ſit ſubſtantiuum cum adiectiuo nam ambo recipiũt articulum: alia quædam de articulo tam in recto, quam in obliquis caſibus capite 5. de notis iam dicta ſunt.

Præterea vltima vocalis nominatiui cum adeſt articulus ſolet eſse اَلضَّمُّ adhammo, ideſt vocalis O, vt اَلرَّجُلُ arragiolo, *vir*, interdum ſed ratò, اَلْفَتْحُ alfathho, ideſt A, ſed de hac re infra clarius.

Vltima genitiui, datiui, & ablatiui, ſi adeſt articulus, eſt اَلْخَفْضُ alchafdho ideſt vocalis I.

Item accuſatiui, cum præceſserit aliqua præpoſitio, aut lam, alioquin ſemper erit vel A, vel an.

Vltima vocatiui vt plurimum ſimilis eſt nominatiuo, niſi adſint aduerbium يَا & littera lam. Quę vocatur اَلاِسْتِغَاثُ alaſtaghatho, ideſt *vociferationis*, tunc

enim erit vocalis I, vt يَاۤالرَّجُل iar ragioli, *o vir*, aut niſi aliquem notum hominem vacemus ſine articulo, tunc enim erit vocalis A, vt, يَاقَدِيسَ *o ſancte*: ita etiam cum aliquem vocamus poſseſſum ab aliquo, vt يَا عَبدَ اَللّٰه *o ſerue Dei* يَا عَبْدَنَا *o ſerue noſter*. Plura in tractatu de ſyntaxi.

De varijs nominum formis, & de gradibus comparationis.

CAPVT II.

NOMINA alia ſunt propria, & vocari poſsunt اَلاَسْمَا اَلْخَتَصّاء alaſmal mactaſsao, qualia ſunt, quæ nec articulum, nec plur. numer. admittunt, vt مُوسَا Muſa *Moyſes*

Moyſes, عيسا iſa, *Ioſue*, &c.

Alia appellatiua, quæ vocantur الأسما التسمية alaſmat taſmiati, quibus nimirum propriè conueniunt & articulus, & caſus, & affixa, &c.

Alia deriuatiua, quæ vocantur الأسما الأعجام alaſmalagiami,

Alia diminutiua, quæ vocari poſſunt. الأسما النقص alaſmal naqſi.

Alia comparatiua, & ſuperlatiua, quæ vno communi nomine vocari poſſunt الأسما التفضيل ala ſmatafsili, ideſt, *nomina exceſſus*: Porrò hæc omnia ſupra dicta, aut ſunt ſubſtantiua, & vocantur الأسما . المبتد alaſmalbotadi .i. *nomina principij*. aut sũt adiectiua, & vocantur الاسما الخبر alaſmalcha-

ſmalchabari *nomen nunciationis*, ideſt, adiectiuum.

De ſubſtantiuis, præter ea, quæ dicta ſunt, adhuc eſt ſciendum, aliqua fæm. gener. deriuari à ſubſtantiuis maſculin. per ſolam additionem litteræ ة h, vt ex السُّلْطَان aſsalttani, *imperatore*, fit foem. deriuatiuum السُّلْطَانَة aſsalttanato *imperatrix*, ita & ex المَلِك almalachi *rege*, fit foem. deriuatum المَلِكَة almalcato *regina*, ita vt penultima foeminina ſemper in A deſinat.

Adiectiua maſc. gener. alia formantur ex verbis, quæ nos participia diceremus; Arabes tamen nomina الأَسْمَاء الأَفْعَال alaſmalalafaalo, ideſt *agentia*, vocant; ſed de his alibi.

Alia formantur ex ſuis ſubſtantiuis, per additionem litteræ ي ie in fine dictionis, vt ex الأَرْض *terra*, formatur

alar-

الارضي alardhio, *terreſtris*. Ita ex

يسوع *Ieſu*, fit يسوعي ieſuion, *Ieſuita*.
& ex المسيح almaſihhi, *Chriſto* fit

المسحى almaſihhio *Chriſtianus*, &c.

Vel per additionem litterarum ا aliph, ن nun, & ى ie, vt ex الرب arrabbi, *domino*, fit ربانى rabbanion, *dominicalis*. ارضاني ardhanion, *terreſtris*.

Vel per additionem و vau, & ى ie, ut ex السماء aſsamaa, fit السماوى aſsamauio *cæleſtis*, dicimus etiam السمائى aſſamaiio *cæleſtis*, ſine uau, more ſuperius dictorum; dicimus etiam بيتوتي baitution *domeſticus*, a بيت baiton *domo*, نسوتي naſu-

naſution, *humanus*, à نُسُوَة naſutin, *humanitate*.

Adiectiua formantur à maſc. per ſolam additionem litteræ ة h, &penultima in A, vt الأَرْضِيَّة alardhiiato, *illa terreſtris* &c.

Diminutiua formantur per additionem litteræ ى ie, penultimæ radicali nominis, vt ex الرجل arragioli, *vir*, fit الرُّجَيْل arragiailo *homuncius*, عَبْد abdon *ſeruus*. عُبَيْد abaidon, *ſeruulus*; ita vt ante ى præcedat vocalis A.

Comparatiua, & ſuperlatiua formantur primo per additionem litteræ ا aliph cum vocali A in principio dictionis, & penultima habente eandem vocalem A vt ex الصَّالِح aſsalehho, facit الأَصْلَح alaslahho, *iuſtus*, *iuſtior*, ita عَالِم alemon

mon, *doctus*, facit أَعلَم alamo, *doctior*. Quod ſi penultimæ fuerint ى ie-demitur, ut ألقَدِيس alqadiſo, *ſanctus*, facit ألاقدَس alaqdaſo, *ſanctior*.

Secundo, fiunt comparatiua, & ſuperlatiua per aduerbia, quæ exceſsum ſignificant: qualia ſunt, أكثر acthara *magis*, أقلال aqlala, *minus*, &c. ut أنتَ عالِم أكثَر مِنّى anta alemo acthara-minni; *doctus es magis quàm ego*.

Circa gradum comparationis hęc in communi ſunt aduertenda. Primo priorem modum eſse comunem utriuſque gener. Eadem enim uox pro maſculin. & fœmin. uſurpatur; fęminina enim dempta littara ة h; maſc. aſciſcunt ſibi formam: cum uero compar. & ſuperl. per aduerbia fiunt; poſitiuis reſtituenda erit ة h fęmin. & ى ſuis maſculinis.

Secundo, quocunque modo fiant compar.

par. & ſuperlat. poſt ſe immediatè ſtatim requirere præpoſitionem مِن vt

انتَ اعلَم مِنهُ *tu es doctior illo*.

Tertio nullam eſse diſtinctionem inter compar. & ſuper. in compoſitione: non enim latinorum, & græcorum more diuerſæ ſunt vtriuſque formæ, & voces.

Quarto compar. & ſuper. reſpuere tanuin de quo ſupra & egrè affixa recipere.

NOmina numeralia quæ الاَسمَا العَدَد alaſmaladadi appellantur, more chaldæorum tria habent propria.

Primo, vt nomina numeri ſing. iungantur ſubſtantiuis plu. num. vt

اَربَعَة سنين arbaaton ſanin *quatuor anni*,

Alterum eſt, vt aliquando minores maioribus numeris præponantur ueluti

خَمسَ وَعشرُون شَهرًا chamſa uaaſceruna ſciahran *quinque, & viginti menſibus.*

Denique ut maſculina fæm. in cardinali

nali numero in prima, & ſecunda unitate quoad ultimam terminationem differant; deinceps comm. erunt gen. terminationem uerò modo maſ. modo fæm. ſortiuntur, ut ex infra poſitis apparet.

Ordo Cardinalis Numeri

Vnus, maſ. gen. وَاحِدٌ & أَحَدٌ & حَادِي

Vna fæm. gen. وَاحِدَةٌ أَحَدَةٌ حَادِيَة

Duo maſ. gen. أَثْنَانِ وَاثْنَايِنَ

Duæ fæm. gen. ثِنْتَانِ وَاثْنَتَايِنَ

Tres com. gen. ثَلَثَةٌ وَثَلَثٌ

Quatuor. أَرْبَعَةٌ وَارْبَعٌ

Quinque. خَمْسَةٌ وَخَمْسٌ

Sex. سِتَّةٌ وَسِتٌّ

Septem. سَبْعَةٌ وَسَبْعٌ

Octo

Octo.	وثماني	ثمانية
Nouem.	وتسع	تسعة
Decem.	وعشر	عشرة
Vndecim maſ. gen.		واحد وعشر
Vndecim fęm.gen.		واحدة وعشر
Duodecim maſc. gen.	وعشر	اثناين
Duodecim foem. gen.		ثنتاين وعشر
tredecim communis gen.		ثلثة وعشر

Et ſic vnitates reliquæ addantur denario numero.

Viginti.	وعشرين	عشرون

Vnus,

Vnus, & viginti maſ.ge.	وَاحَدٌ وَعِشْرُونَ وَاحِدْ وَعِشْرِينَ
Vna, & viginti fæm. gen.	وَاحِدَةٌ وَعِشْرُونَ وَاحِدَةٌ وَعِشْرِينَ
Duo, & viginti.	اِثْنَايِن وَعِشْرُونَ اثْنَانِ وَعِشْرِينَ
Duæ, & viginti.	أَثْنَتَانِ وَعِشْرُونَ وَثِنْتَا وَعِشْرِينَ
Tres, & viginti.	ثَلَثَةٌ وَعِشْرُونَ وَثَلَثٌ وَعِشْرِينَ
Triginta.	ثَلَثُونَ وَثَلَثِينَ
Quadraginta.	أَرْبَعُونَ وَأَرْبَعِينَ
Quinquaginta.	خَمْسُونَ وَخَمْسِينَ
Sexaginta.	سِتُّونَ وَسِتِّينَ
Septuaginta.	سَبْعُونَ وَسَبْعِينَ
Octuaginta.	ثَمَانُونَ وَثَمَانِينَ

Nonaginta. تِسْعُونَ وَتِسْعِينَ

Nonaginta & vnus. وَاحِدٌ وَتِسْعُونَ وَاحِدٍ وَتِسْعِينَ

Nonaginta & vna. وَاحِدَةٌ وَتِسْعُونَ وَاحِدَةٍ وَتِسْعِينَ

&c. vt ſupra.

Semper addendo vnitates, quas vſq; ad nouem ſupra enumerauimus, ad ſingulas decadas, nimirũ, ad decẽ, ad viginti, adtriginta &c. quæ non patiũtur mutationem. Decades quarum penultima eſt و vau. rectis caſibus inſeruiunt; quarum vero eſt ى ie, obliquis; Poſt decadas, ſequitur مَايَةٌ maiaton, ideſt centum, cui poſſunt annecti & vnitates, & decades, veluti

Centum & vnus, maſ. gen. مَايَةٌ وَوَاحِدٌ

Centum & vna, fœm. gen. مَايَةٌ وَوَاحِدَةٌ

uſque ad مِيَاتٍ miatin, vel مِيِينَ miiana

miiana pluries centum à quibus rurſus modoſupra dicto vnitates & decades repeti incipiunt uſque ad أَلْف alipha, ideſt, *mille*, & أَلَافَات alaphatin, *millia*, & reliquum, numerum. Si uerò ipſas decadas, aut ipſum centenarium numerum &c. lubet enumerare, uel demimus litteram و uau quæ inter decadas, & unitates eſt, ut pro مَايَةٌ وَوَاحَدٌ cum duplici uau; dicimus مَايَةٌ وَاحَدٌ cũ una, و uau, ideſt ſemel centum & عَشَرَةٌ وَاحَدٌ ſemel decem, &c. vel minorem maiori numero anteponimus, dempta etiam littera و vau, vt pro مَايَةٌ وَثَلَثْ dicimus ثَلَثْ مَيَاتِدْ *trecenta*: ita in cæteris.

Numerus Ordinalis.

Primus, maſc. gen. اَوَّل & أُولِي

Prima, fæm. gen. اَوَّلَة & أُولِيَّة

Secundus.	ثَانٍ	Secunda.	ثَانِيَة
Tertius.	ثَالِث	Tertia.	ثَالِثَة
Quartus.	رَابِع	Quarta.	رَابِعَة
Quintus.	خَامِس	Quinta.	خَامِسَة
Sextus.	سَادِس	Sexta.	سَادِسَة
Septimus.	سَابِع	Septima.	سَابِعَة
Octauus.	ثَمَانٍ	Octaua.	ثَمَانِيَة
Nonus.	تَاسِع	Nona.	تَاسِعَة

Deci-

Digitized by Google

Decimus. عَاشِرى Decima. عَاشِرِيَّة

Vndecimus. حَادِى عَشَر

Vndecima. حَادِيَة عَشَر

Sic deinceps vſque ad finem addentes numerum ordinalem ſupra decadas, vt ſuperius factum eſt in cardinali. Denique ſciendum eſt Arabes non vti characteribus alphabeti pro cardinali numero more Chaldæorum, Heb. & Græcorum: ſed eorum loco quibuſdam figuris, ex India translatis, quas ſubiciemus in ſubiecta tabella.

١	٢	٣	٤	٥	٦	٧	٨	٩	١٠
1	2	3	4	5	6	7	8	9	10
١١	١٢	١٣	١٤	١٥	١٦	١٧	١٨	١٩	٢٠
11	12	13	14	15	16	17	18	19	20
٣٠	٤٠	٥٠	٦٠	٧٠	٨٠	٩٠	١٠٠		
30	40	50	60	70	80	90	100		

Et ita in infinitum, augendo figuras more latinorum, quos etiam imitantur in lectione, & ſcriptione huius numeri.

A ſiniſtra nimirum ad dexteram incipientes contra ſuam conſuetudinem, qua Chaldæos, & Hebræos ſequentes, à dextera in ſiniſtram, & ſcribendo, & legendo progredi ſolent.

Sæpe Arabes pro . vtuntur quinta figura more Latinorum, & tunc pro illa vtuntur hac ٥ vt numerus hic ١٠ ſit decem hic ١٥ quindecim, &c.

De Pronomine.

CAPVT IIII.

PRONOMEN apellatur الاَسْمُ المُبْهَمُ alaſmol mobhamo; quod apud Arabes, ſicut & apud alias gentes, duplex eſt, nimirum مُنْفَصِلٌ mofsſalon, *ſeparatum*, & مُتَّصِلٌ mottaſslon, *coniunctum*.

Primum complectitur pronomina primitiua, veluti أَنَا ana, *ego*, communis

nis vtriuſque gener. ſingular.

نَحْنُ nahhnu, *nos*, plur. item commun. generis.

أَنْتَ anta, *tu*, maſcul. ſingul. cum vocali A in vltima.

أَنْتُمَا antoma dualis, *vos duo*.

أَنْتُمْ antom, *vos*, plur. maſc.

أَنْتِ anti, *tu*, fœm. cum vocali I in vltima.

أَنْتُمَا antoma, *vos duæ*, dual.num.

أَنْتُنَّ antonna, *vos*, plur. fæm.

ذَلِكَ dhaleca, vel هُوَ hua, *ille* ſingul. maſcul.

هُمَا homa, *illi duo*, Dual.

أُولَٰئِكَ aulaica, vel هُمْ hom, *illi* plur. maſc. gen.

تِلْكَ talca uel هِيَ hia *illa* foem. ſing.

هما homa, *illæ duæ* Dual. num.

هن honna *illæ* plu. foem.

Secundo ſunt pronomina poſſeſſiua; quæ more Chald.& Heb. quibuſdam litteris vltimæ nominis parti adſcriptis, nunc hanc, nunc illam perſonam exprimunt. Sunt autem hæ litteræ ſex, quæ ſiue ſolæ, ſiue ſibi inuicem mixtæ, omnes pronominis perſonas denotant, vt ex iis, quæ ſubiiciuntur, apparet.

ا ن م ه ك ى Litteræ quæ ex his ſolæ ſcribunttur, ſunt ى ie primæ perſonę ſing. vtriuſque gen. ك caph cum vocali A. maſ. cum ie, fem. ſecundis perſonis ſing. ه h maſ. tertiæ perſonæ ſing.

Litteræ mixtæ.

ſunt نا na primæ perſonæ plu. vtriuſque gen. tribuitur.

كم com. ſecundæ perſonę plu. num. maſ. gen.

كن conna, ſecunda plu fœm.

homa

Digitized by Google

هُمَا homa,ſecundæ Dual. vtriuſque gen.

هَا ha, tertiæ perſonæ foem. ſing.

هُمَا homa,tertiæ Dual. vtriuſque gen.

هُمْ hom, tertiæ Plu. maſ. gen.

هُنَّ honna,tertiæ plu. foem.

Paradigma nominis cum litteris poſseſsiuis.

Nominatiuus. عَبْدٌ abdon, *ſeruus*, عَبْدِي abdi *ſeruus meus* عَبْدُنَا abdona *ſeruus noſter*.

عَبْدُكَ abdoca, *ſeruus tuus*. maſcul gener.

عَبْدُكُمَا abdocoma, *ſeruus veſter duorum*, vel *duarum*. Dual. num.

عَبْدُكُمْ abdocom, *ſeruus veſter*, plur. num. maſc. gen.

abdochi

عَبْدُكِ abdochi, *ſeruus tuus*, foemin. gener. ſingular.

عَبْدُكُنَّ abdoconna, *ſeruus veſter*, foemin. gener.

عَبْدُهُ abdoho: *ſeruus illius*, maſ.gen.

عَبْدُهُمَا abdohoma, *ſeruus illorum duorum*, vel *illarum duarum*: Dual.

عَبْدُهُمْ abdohom, *ſeruus illorum*, plur. maſculin. gener.

عَبْدُهَا abdoha, *ſeruus illius*, foem.ſing.

عَبْدُهُنَّ abdohonna, *ſeruus illarum*, foemin. plural.

Nominatiuus dualis عَبْدَانِ abdani, *duo ſerui*, cum pronominibus demitur vltima ن nun facit عَبْدَاى abdai, *duo ſerui mei*.

abdana

عَبْدَانَا abdana, *duo ſerui noſtri*.

عَبْدَاكَ abdaca, *duo ſerui tui*. maſcul. gener.

عَبْدَاكُمَا abdacoma, *duo ſerui veſtri*, comm. gener.

عَبْدَاكُمْ abdacom, *duo ſerui veſtri*, plural. maſcul.

عَبْدَاهُ abdaho, *duo ſerui illius*, maſ. gen.

عَبْدَاهُمَا abdahoma, *duo ſerui illorum duorum*, vel *illarum duarum*.

عَبْدَاهُمْ abdahom, *duo ſerui illorum*, plur. maſcul.

عَبْدَاهَا abdaha, *duo ſerui illius*, foem.

عَبْدَاهُنَّ abdahonna, *duo ſerui illarum*, plur. foem.

Nominatiuus plur. nominis عَبِيدٌ abidon *ſerui*, cum affixis facit عَبِيدِى

abidi

abidi, *ſerui mei*.

عَبِيدُنَا abidona, *ſerui noſtri*, com.gen.

عَبِيدُكَ abidoca, *ſerui tui*, maſ. gen.

عَبِيدُكُمَا abidocoma, *ſerui veſtri duorum*, vel *duarum*.

عَبِيدُكُمْ abidocom, *ſerui veſtri*, plur. maſculin.

عَبِيدُكِ abidochi, *ſerui tui*, foem. gen.

عَبِيدُكُنَّ abidoconna, *ſerui veſtri*, plu. foemin.

عَبِيدُهُ abidoho, *ſerui illius*, maſ. gen.

عَبِيدُهُمَا abidohoma, *ſerui illorum duorum*, vel *duarum*.

عَبِيدُهُمْ abidohom, *ſerui illorum*, maſc. gener. plural.

abidoha

Digitized by Google

عَبِيدَهَا abidoha, *ſerui illius*, foem.

عَبِيدُهُنَّ abidohonna, *ſerui illarum*, foemin. plural.

Eodem modo & in ceteris nominibus faciendũ erit in rectis caſibus, in obliquis verò ſi vltima vocalis eſt alchaftho, ideſt, i, vt in Gen. Dat. Ablat & interdum Accuſat. eſse ſolet, non eſt varianda ante ـه affixa. itaque dicimus فِي بَيْتِهِ fi baitihi *in domo illius viri* vbi ante ـه h, eſt vocalis, i, cuius cauſa etiam ipſa ـه h, habet, i, ſemper enim ـه h, præcedente vocali i, legitur cum vocali i, ita etiam مِنْ عَبْدِكَ men abdica, *à ſeruo tuo*, & Accuſatiuus quoque quando habet vocalem A, non eam mutat ante affixa, vt نَصَرْتُ لِعَبْدِهُ naſartu laabda hu *adiuui ſeruum illius*. Obliqui caſus dualis ante ـه

affixa

Digitized by Google

affixa perdunt litteram ن nun, vt ex uoce عَبْدَايْنِ abdaini dicimus

نَصَرْتُ لِعَبْدَايْكَ naſſartu leabdaica. *adiuui duos ſerous tuos* &c.

Nomina ſing. quorum vltima eſt ا aliph vt اَلسَّمَاءُ aſſamaa *cælũ*, اَلْجَفَاءُ aggiafa *craſſities*. اَلْمَاءُ alma *aqua*, & ſimilia in duali poſt ا aliph ſuſcipiunt و uau excepta prima perſona ſingulari vt اَلسَّمَاوَنَا aſſamauna *duo cæli noſtri*, اَسْمَاوُهُ aſinauhu *duo nomina ſua* &c.

Nomina foeminina eodem modo quo maſculina recipiunt poſſeſſiua quorũ tamen vltima eſt ة mutatur in ت, ante affixa vt ex voce اَلصَّلاَةُ aſſalato, *oratio*, fit اَلصَّلاَتِي aſſalati *oratio mea*, اَلصَّلاَتَاكَ aſſalataca *duæ orationes tuæ*.

ſamaa

سَمَعَ كَلِمَتَيْهِمَا ſamaa calmatai homa, *audiuit duo verba eorum duorum*, ſic & maſ.plu quorum ultima eſt ة h mutant in ت, ut كَهَنَتُكَ cohnotoca, *ſacerdotes tui*. Si quod nomen, aut alia dictio habeat litterā ى ie finalem in affixis perſonæ ſing. non bis ſcribitur eadem ى ie, ſed per notam taſcdidi duplicatur, ut ex uoce عَلَى ala, de qua ſupra diximus, عَلَيَّ alaiia *ſuper me*, ita ex الرَّاعِي arraio *paſtor* fit الرَّاعِيَّ arraiia *paſtor meus* &c.

In aliis autem nominibus habentibus litteram ſimilem affixis in fine, repetenda erit, ut ex الْمَلَكُ almalaco, *Angelus*, fit الْمَلَكُكَ almalacoca, *Angelus tuus*.

Pronomina demonſtratiua dupliciter uocantur, uel الأسما آلمبهام alaſmal mobhamo, uel الاشارت alaſcarato, maſc. sing.

ſing. ſunt ueluti هذا hada, ذا dha, & ذاك dhaca, hæ tres voces idem ſignificant ideſt *hic*, aliquando, *iſte*, ذانك dhannaca, *iſte*, Dualis eſt هذان hadani & هذين hadaini, *hi duo* vel *iſti duo*, ذان dhani ذين dhini, *hi duo*. Plu. facit

هولاى haulai, *hi* &, *iſti*,

دلك daleca, *ille*, هو hua *ille*, vel *ipſe*.

Dual. هما *illi duo* & *illæ duæ*, vel *ipſi duo* & *ipſæ duæ*.

Plu. هولايك haulaica *illi*, & هم hom *illi*, uel *ipſi*. Foem. ſing. ſunt ueluti هذه hadeh, تا ta, تي tia, ته ذه تهى ذهى tahi, dhahi tahia, dhahia, hæ omnes uoces idem denotant ideſt *hæc* uel *iſta*.

Dua-

Dualis facit هاتان hatani, & هاتين hataini, تان tani, & تين taini, *hæ duæ*, vel *iſtæ duæ*.

Plural. هن honna, أولاء *hæ*, vel *iſtæ*, vel *ipſæ*, تلك talca, أولاك aulaca, تانك tannaca, هي hia, *illa*, & aliquando *ipſa*.

Plur. تلك taleca, vt in ſingular. ſæpe enim pronomina fœmin. ſingul. pro plural. vſurpantur, هن *illæ*, vel *ipſæ*. ذاكن dhaconna, ذانكن dhanconna, *iſtæ*, *ipſæ*.

Pronomina primitiua caſus habent, ſed non more nominum; non enim mutant vocales, nec litteras aut ſumunt, aut perdunt. Eorum igitur Nominatiuus eſt انا انت هو &c. vt ſupra.

 Geni-

Genitiuus ſunt affixa, vt كتابه catabihi, *libri illius*, &c.

Datiuus, & Accuſatiuus eſt لي li, *mibi*, vel *me*, لنا lena, *nobis*, vel *nos*, لك laca, *tibi*, vel *te*, لكما lacoma, *vobis duobus*, vel *duabus*, vel *vos*, لكم *vos*, maſc. لك lachi, *tibi*, vel *te*, foemin. لكن laconna *vobis*, vel *vos*, foemin. له lahu, *illi*, vel *illum*, لهما lahoma *illis duobus* vel *duabus*. *illos*, uel *illas*, لهم *illis*, vel *illos* maſ. لها *illi*, vel *illam*, لهن lahonna *illis*, vel *illas*. Vocatiuus idem, qui Nominatiuus. Ablat. eſt مني menni, *à me*, منا menana, *à nobis*, منك menaca *à te*, منه menahi

ab illo, &c. ut ſupra in Datiuo, licet in omnibus obliquis ſæpenumero utamur uoce ايا aia loco pronominis primitiui, cui more nominum affixa iungimus, ut اياى aiai *mihi ipſi* & *me ipſum*, اياك *tui*, *tibi*. *te ipſum*, &c. pro ut neceſsitas poſtulat. in Ablat. additur præpoſitio من men, ut من ايانا men aiana *à nobis* &c. Ita ut ſine affixis hæc uox nihil ſignificet per ſe.

Interdum huius loco utimur alia uoce nimirum شيا ſciaian, ideſt *res*, ut هذا شيك hada ſciaiaca, *hoc tuum eſt*, uel *hæc res tua*, &c.

Relatiua uocantur الموصولات almauſſulato *adiuncta*, & ſunt, الذى alladhi, *qui*, اى aiion *qui*, *quis*, *qualis*, من mana

quis, مَا ma, *quid*? interrogatiue.

Dual. اَلَّذَانِ alladhani *qui duo*.

Plur. اَلَّذِينَ *qui*, اَللَّايِي allaiio *qui*.

In foem. اَلَّتى *quæ*, اَيَّة *quæ*, *quales*.

Dual. اَللَّتَانِ allatani *quæ duæ*.

Plural. اَلَّتِي *quæ*, ut in ſing. اَللَّاتِي allati *quæ*, اَللَّوَاتِي aluati *quæ*, *qualis* اَللَّاء *quæ*.

Digitized by Google

PARS TERTIA

Quæ eſt de Verbo in genere.

De ijs, quæ verbo accidunt.
CAPVT I.

VERBO in communi accidunt ſex, uidelicet, Modus, Tempus, Perſona, Genus, Numerus, Coniugatio.

Modus dicitur الحال alhhalo, qui duplex eſt apud Arabes, Indicatiuus, qui dicitur الحال الحاضر alhalolhhadhero, Imperatiuus الامر alamro.

Optatiuum autem, Subiunctiuum, & Infinatiuum non diſtinguunt à præſenti.

Quibuſdam tamen aduerbiis nos noſtro more unius modi ſenſum à ſenſu alterius facilè iudicare poſsumus.

Et quidem Optatiui aduerbia ſunt يا ليت ialaita, & العلّ alella, ideſt *uti-*

Digitized by Google

nam, *ò vtinam*, quę cum uerbis iungitur eorum ſignificationem ad optatiuum transferunt, ut يا ليت الرب يغفر لي ia laitar rabbo iagforli, *o vtinam dominus mihi condonaret*. Aduerbia coniunctiui ſunt أن anna ideſt *vt*, & إن enna ideſt *ſi*, & alia, ut إن قاتل ena qatala, *ſi occiderit*, أن يكتب anna iactob *vt ſcribat*; & alia, quę vſus docebit.

Infinitiuum vario modo pro loquendi exigentia formare poterimus, vel per verbum præteritum, & præſens, genere, numero, & perſona concordantia, vt بدا يخبر bada iachabero, *cæpit annunciare*, vel per vtrumque præſens, vt يبدا يعلم iabda iaalemo *incipit docere*, uel denique per verbum futurum, & preſens, vt سياتي يقول ſaiàti iaqulo *veniet*

niet dicere; idque contingit, quoties inter verbum, & verbum, nullum aduerbium, nec vlla coniunctio interponitur.

Tempus, quod vocatur أَلزَّمَانُ azzamano triplex eſt apud Arabes, Præteritum, Pręſens, & Futurum.

Prçteritum, quod vocatur أَلزَّمَانُ ألمَاضِي azzamanol madhio; præcedit ordine naturæ, reliqua tempora,& in eo eſt radix verbi, a qua cetera deriuantur verba: Porrò huius temporis vſus varius interdum eſse ſolet. Si enim antecedant aduerbia optatiui, vel ſubiunctiui pro eorũ præterito ſumitur, vt أَلعَلَّ جَآءَ *vtinam venerit*, & إِنَّ قَالَ لَنَا enna qala lena, *ſi dixerit nobis* &c.

Si vero præcedat verbum ſubſtantiuum كَانَ cana, ideſt *fuit*, & ſequatur aliquod verbum præt. illud præt. erit pluſquam perfectum ut كَانَ كَتَبَ

cana cataba, *ſcripſerat*:

Et ſi adſunt aduerbia, uel Opt. uel Subiun. ad eorum pluſ. perf. transfertur, ut يا لَيتَ كُنتَ كَتَبْتَ ia laita conta catabta, *ò vtinam ſcripſiſſes*, & إنَّ كُنتُ أمَرْتُ enna contu amartu, *ſi imperaſſem* &c.
interdum hoc præt. pro fut. uſurpatur.

Secundo loco eſt Præſens, quod uocatur الحاضرُ alhhadhero.

Tertio uero futurum, quod أَلْسْتَقْبَالُ aleſtaqbalo uocatur.

Præſens. & futurum apud Arabes non diuerſam habent formam: eadem enim omnino uox eſt utriuſque ut يَضْرِبُ iadhrebo *percutit*, uel *percutiet*. hinc eſt, quod uno nomine utrunque tempus appelletur أَلْمُضَارِعُ almodhareo ſiue أَلتَّشْبِيهُ attaſcbiho, ideſt ſimilitudo:

quia

quia unum alteri omnino forma ſimile eſt. Verum, cnm diſtincta eſse uolunt, præſenti præponunt aduerbium الآنَ alana, ideſt *nunc*, & futuro غدًا ghadan, *cras*, ut الآن يَكْتُبُ alana iactobo, *nunc ſcribit*, & غدًا يَكْتُبُ ghadan iatcobo *cras ſcribet*.

Præterea diſtinguunt futurũ per litterã س quam initiis dictionum inſcribunt ſic سَيَكْتُبُ ſaiactobo *ſcribet*, vel per aduerbium سَوْفَ ſufa, quod nihil ſignificat ſeparatum.

Denique hæc forma modharei, ideſt horum duorum temporum interdum pro præterito uſurpatur, ſed rarò ut Marc. 6. رَفَعُوا جُثَّتَهُ rafau giathatahu &c. وَيَجْعَلُوهَا فِي قَبْرٍ uaiaaluha fi qabri, ideſt, *tulerunt corpus eius, & ponunt in ſepulcro*, pro poſuerunt.

Interdum pro præterito imperfecto, ſi tamen

tamen præceſserit uerbum ſubſtantiuum præteriti temporis gen. num. & perſona coherens, ut كان ينصر cana ianſoro *adiuuabat*, & كنت تكتب conta tactobo, *ſcribebas* &c.

Sumitur pro optatiu. & ſubiunct. ſi adſint aduerbia. Pro infinitiuo, ſi pręcedat aliud præteritum, vt iam dictum eſt. Pro participiis, & gerundiis, ſi poſt verbum præterit. ſequatur modhareum, habens litteram lam, vt Matth. 13. خرج ليزرع charagia laiazrao, *exiuit ad ſeminandum*: dummodo littera lam tunc ſignificet præpoſitionem ad, & non particulam, vt: quia tunc coniunctiuus potius, quam gerundium eſset, veluti اطلقهم ليذهبوا atleqhom leiadhabu, *dimitte eos vt abeant*.

Imperatiuus vocatur الأمر alamro, & formatur ab ipſo etiam modhareo, ſed de hoc inferius.

Perſona

Perſona vocatur الضَّمِيرُ addhamiro, quę triplex eſt.

Prima perſona ſing. vocatur ضَمِيرُ ٱلْمُتَكَلِّمِ وَاحِدَهُ dhamirol motacalemo uahhadahu, *perſona loquens ſola*, ut أَنَا ana, *ego*, comm. gener.

Prima plural. ضَمِيرُ ٱلْمُتَكَلِّمِ مَعَ غَيْرِهِ dhamirol motachalemo maa ghairahu, ideſt, *perſona loquens cum alio*. Vel etiam uocatur ضَمِيرُ مُعَظِّمٍ نَفْسَهُ dhamiro, moaddhamo nafsahu, hoc eſt, *perſona ſe ipſam extollens*, ut ſolent loqui principes, cum dicunt, nos & tamen unus eſt qui loquitur, ut نَحْنُ *nos* comm. gen.

Secunda perſona ſingul.maſcul. uocatur ضَمِيرُ ٱلْمُخَاطَبِ dhamirol mochatebi, ideſt, *perſona alloquens*, ut أَنْتَ anta,

cum

cum vocali A in fine, *tu vir*.

Dualis vocatur ضَمِيرُ ٱلْخَاطِبِ فِى ٱلتَّثْنِيَةِ dhamirol moochattebi fit tathniati, ideſt, *perſona alloquens*. In duali, vt أَنْتُمَا antoma *vos duo*, *vos duæ*.

Plural. vocatur ضَمِيرُ جَمْعِ ٱلْخَاطِبِ dhaniro giamil mochattebi, *perſona pluralis alloquens*, vt أَنْتُمْ antom, maſcul. gener. *vos*.

Secunda perſona ſingular. foem. vocatur ضَمِيرُ ٱلْخَاطِبَةِ dhamirol mochattebato.

Secunda plural. foeminin. vocatur ضَمِيرُ ٱلْخَاطِبَاتِ dhamirol mochattbati, vt أَنْتُنَّ antonna, *vos*, foem.

Tertia ſingular. maſculin. vocatur ضَمِيرُ ٱلْغَايِبِ dhamirol ghaibi, *perſona abſen-*

abſentis, vt هُوَ hua, *ille vir*.

Dualis vocatur ضَمِيرُ ٱلْمُثَنَّى ٱلْغَائِبِ dhamirol mothnil ghaibi, *perſona dualis abſentis*, vt هُمَا homa, *illi duo*, & *illæ duæ*.

Tertia plural. maſculin. vocatur ضَمِيرُ جَمْعِ ٱلذُّكُورِ dhamiro giamid dacuri, *perſona plural. maſcul.*

Tertia foemin. ſingular. vocatur ضَمِيرُ ٱلْغَائِبَةِ dhamirol ghaibati, *perſona abſentis* foem. vt هِيَ *illa*.

Plural. vocatur ضَمِيرُ ٱلْغَائِبَاتِ dhamiral ghaibati, *perſona abſentium* foem. vt هُنَّ honna, *illæ*.

Denique perſona in uerbis uocatur ضَمِيرُ ٱلْمُتَّصِلِ dhamirol motaſalo, ideſt, *perſona coniuncta*, quia eam cum qualibet

bet perſona uerbi pronunciamus, & perſonam diſtinctam ab alia intelligimus,

نصر نصرت نصرت *adiuuit*, *adiuuiſti*, *adiuui*.

Genus uocatur الجنس algianſo, quod triplex eſt, maſculin. foemin. & comm.

Maſculin. uocatur المذكر almodachero, ut كتب cataba, *ſcripſit*.

Foemin. uocatur المونث almouannatho, ut كتبت catabat, ſine uocali in fine, *ſcripſit illa*.

Commune uocatur المشترك almoſctaraca, كتبت catabtu, *ſcripſi ego*.

Numerus uocatur العدد aladedo, & triplex eſt.

Singularis, qui uocatur المفرد almofrado.

Dualis, qui dicitur المثنى almothnio.

Plur.

Plur. vocatur الْجَمْعُ aggiamao.
Coniugatio duplex nomen habet

التَّصْرِيفُ attaſsrifo *commutatio*, &

التَّجْدِيلُ attagdilo *inflexio*, quæ proprie

non eſt niſi vna, quamuis enim multa genera verborum enumerentur, tamen ad vnum ferè modum omnia inflectuntur.

Verba itaque apud Arabes alia ſunt

Actiua, & vocantur الأَفْعَالُ الْمُتَعَدِّيَةُ

alaphalol motadiiato, ideſt *verba tranſitiua*.

Alia Paſsiua, & vocantur

الافعَالُ الْمَفْعُولِيَّةُ alaphalol mafuliiato.

Alia Neutra, quæ vocantur,

الأَفْعَالُ الْغَيْرُ مُتَعَدِّيَةُ alaphalol ghaira

motadiiato ideſt. *intranſitiua*, quamuis multa ex intranſitiuis fiant tranſitiua, & actiua per additionem notæ taſcdidi

ſcdidi ut infra dicemus, & alicuius litterę vt ex فَرَحَ farahha, *lætatus eſt ipſe*, فَرَّحَ farrahha *lætificauit alios*.

Communia, & Deponentia apud Arabes, aut nulla, aut pauca reperiuntur, nã omnia quæ non ſunt neutra paſſiua eſse poſsunt etiã ſi ſint uerba in ſe addita; frequẽtiſſima ſunt imperſonalia, uocãturque الأَفْعَالُ ٱلَّتِى لَمْ يُسَمَّ فَاعِلُهُمْ alaphalo latilam ioſam faelhom, ideſt *verba, quorum agens tacetur*, & ferè ſemper ſunt paſsiuę uocis ſing. num. ut illud Luc. 12. سُوفَ يُنَادِى ſufa ionadi, ideſt *prædicabitur*, ut illud يُطْلَبُ كَثِيرًا iottlabo cathiran *repetitur multum*.

Præterea uerba cuiuſcunque generis cenſeantur, aut ſunt perfecta, aut defectiua.

Perfecta uocatur الأَفْعَالُ ٱلسَّالِمَةُ alaphalo-

ſalemato ideſt *verba ſeruata*, ſiue integra, quæ nimirum inter coniugandum nullam radicalem aut perdunt, aut in aliã mutant,& hæc aut ſunt triũ litterarũ, vt eſt نَصَرَ naſara *adiuuit*, aut quatuor, vt eſt دَحْرَجَ dahhragia, *reuoluit*; دَنْدَلَ dandala *demiſit* &c.

Imperfecta ſunt quæ inter coniugandum vnam in aliam mutant, ideo vocantur أَلْأَفْعَالُ ٱلْمُعْتَلَّةُ alaphaiolmotallato, ideſt *infirma*, & de his ſuo loco infra cum de verbis defectiuis agemus.

Item omnia verba, ſed præcipue perfecta interdum recipiunt augmentum & litterarum,& vocalium & tunc vocantur الأَفْعَالُ ٱلْمَزِيدَةُ فِيهَا alaphalol mazidati fiha, ideſt *verba addita in ſe*, vt ex verbo فَعَلَ faala fit أَفْعَلَ afaala *fecit*; hæc autem additio, ſiue augmentum aut eſt vnius tantùm litteræ, aut duarum, aut ad ſummum trium.ſed augmentum trium litterarum verba quatuor litterarum reſ-

puunt; quia nullum verbum eſt apud Arabes, quod conſtet pluribus, quam ſex litteris, & quatuor vocalibus.

Porrò hoc additamentum vnius litteræ, vel eſt ſolius aliph initio dictionis vt ſæpiſsime fit, veluti ex كَرَمَ أَكْرَمَ acrama, *honorauit*, vel ن nun aut ت ta ut ex دَحْرَجَ dahhragia تَدَحْرَجَ tadahhragia, *reuoluit*; vel in media dictione, ſiue ipſius aliph, ſiue etiam alterius; ſiue actu vt ex قَتَلَ قَاتَلَ qatala *occidit*, ſiue per notam taſcdidi cum eodem numero augetur, vt ex فَرَحَ farah ha, *lætatus eſt*, فَرَّحَ farrahha *lætificauit*.

Additamentum duarum litterarum, uel eſt ambarum in principio dictionis, ut ex قَطَعَ qattaa, *abſcidit*, أَنْقَطَعَ anqattaa, *concidit*.

Aut eſt unius in principio, & alterius in medio actu, ut ex بَعَدَ baada, *longe iuit*,

iuit, تَبَعَّادَ tabaada, *longius receſſit*.

Vel per notam taſcdidi, ut كَسَرَ caſara, *fregit*, تَكَسَّرَ taccaſsara, *confregit*,

Aut eſt unius litteræ in principio dictionis, & alterius in fine, per notam additam, vt ex قَشَعَرَ *horruit*, إِقْشَعَرَّ eqſciaarra, *perhorruit*,

Additamentum trium litterarum, uel eſt in principio dictionis, vt ex خَرَجَ charagià, *exiuit*, إِسْتَخْرَجَ eſtachragia, *extraxit*, vel vna in principio & duæ in medio actu collocãtur, vt ex عَشَبَ *germinauit*, إِعْشَوْشَبَ *exgerminauit*, vel vna in principio, altera in medio actu ponuntur vt ex قَعَسَ *redijt*, إِقْعَنْسَسَ eqanſaſa *reuerſus eſt*, vel vna in principio alia in medio, tertia in fine actu, vt

 ſalaqa

سَلَقَ ſalaqa, *coxit*, إِسْلَنْقَى eslāqa, *decoxit*, vel per notā taſcdidi, ut ex حَمَرَ *erubuit*, إِحْمَارَّ hehhmarra *erubuit*; ſic igitur verba tam tirum, quā quatuor litterarū augentur, vt melius in quarta parte dicemus. Vulgus verba in ſe addita litteris aliph & ت, aut aliph, & ن, aut per ت ſolā, paſsiua eſse putat, ſed non ita grāmatici, nā ex eis paſsiua formāt. Cū verò ab augmēto ſe abſtinēt, vocātur الأفعال المجردة alaphalol mogradato, ideſt, *ſeruata*, & *pura*; & quamuis, verba ad ſummū ſint ſex litterarum; tamen ſolæ tres conſonantes radicales, a grammaticis nomen, tanquā characteriſticæ verbi habent; Prima vocatur ف pha, ſecunda ع aino, tertia ل lam, de additis nulla habetur ratio, item ſi qua conſonans radicalis vocali careat, vt ſæpe fit in verbis quatuor litterarum, nomine quoque carebit; hinc eſt, quod in verbo دَحْرَجَ dahhraga, ſe-

cunda nimirum ح hha, nullum habet nomen, ſed د dal, uocabitur ف pha, & ر Ra غ aino, & ج gia. ل lam. iam ad ipſum verborum coniugandi modum veniamus.

Paradigma verborum Perfectorum.

Antequam ipſum verbum coniugare incipiamus, illud erit aduertendum, Arabes in coniugãdis verbis Chaldæorum, & Heb. more à tertia perſona ſing. maſ. præt. temp. ſemper exordiri, deinde ad ſecundam eiuſdem gen. & num. poſtea ad primam ſing. deuenire, ſic & in numero multitudinis, ac duali: ſed Dualem poſt ſingularem Græcorum more inflectunt Deinde plu.num.finem imponunt vt ex ipſo paradigmate videre licet.

Tempus præteritum أَلزَّمَانُ أَلْمَاضِى azzamanol madhio.

Sing. maſ. أَلْمُذَكَّرُ أَلْمُفْرَدُ almodacarol mofrado. نَصَرَ Naſara *adiuuit ille* cum triplici vocali A. نَصَرْتَ Naſarta adiu-

 uiſti

uiſti vir, cum A. in vltima نَصَرْتِ naſarto *adiuui*, cum o in vltima Dualis, tertiæ تَثْنِيَةُ ٱلغَائِبِينَ thadiatol ghaibaini. نَصَرَا naſara, *adiuuerunt illi duo*, cum aliph in fine. Dualis ſecundæ com. gen. ضَمِيرُ ٱلْخَاطَبِ فِى ٱلتَّثْنِيَةِ مُطْلَقَ dhamirol mochatabi fit tathniati motolqa.

نَصَرْتُمَا naſsartoma, *adiuuiſti vos duo*, & *vos duæ*.

Plural. maſcul. جَمْعُ ٱلذُّكُورِ giamod dacuri.

نَصَرُونَ وَنَصَرُوا naſaruna uanaſaru, *adiuuerunt illi*.

نَصَرْتُمْ naſartom, *adiuuiſtis vos viri*.

نَصَرْنَا naſarna, *adiuuimus nos*, com. gen.

Singular. foemin. ٱلْمُفْرَدُ ٱلْمُؤَنَّثُ almo-

ſradol

Digitized by Google

ſradol mouannathi.

نَصَرَتْ naſarat, *adiuuit illa*, vltima quieſcente.

نَصَرْتِ naſarti, *adiuuiſti tu*, foem. cum i in vltima.

نَصَرْتُ naſartu, *adiuui*, cum V in vltima,

Dual. foemin. tertiæ تَثْنِيَةُ ٱلْغَائِبَتَيْنِ tathniatol ghaibataini.

نَصَرَتَا naſarta, *adiuuarunt illæ duæ.*

Plur. foem. جَمْعُ ٱلْإِنَاثِ giamol anathi.

نَصَرْنَ naſarna, *adiuuerunt illæ*, ſine aliph finali.

نَصَرْتُنَّ naſartonna, *adiuuiſtis vos*, foem.

نَصَرْنَا naſarna, *adiuuimus nos*, cum aliph finali.

Eodem modo omnia verba perfecta, pura, vel in ſe addita inflectuntur, etiam ſi paſsiua ſint, ſeruata tamen eo-

rum forma, nimirum vt prima eorum conſonans mobilis habeat vocalem O, & penultima vocalem E, veluti ex actiuo نَصَرَ naſara, in paſsiuo dicimus نُصِرَ noſera, & ex دَحْرَجَ dahhragia, دُحْرِجَ dohhoregia, &c. vt

نُصِرَ noſera, *adiutus eſt*.

نُصِرْتَ noſerta, *adiutus es*.

نُصِرْتُ noſertu, *adiutus ſum*.

نُصِرَا noſera, *adiuti ſunt illi duo*.

نُصِرْتُمَا noſertoma, *adiuti eſtis vos duo, & duæ*.

نُصِرُونَ نُصِرُوا noſeruna, & noſeru, *adiuti ſunt illi*.

نُصِرْتُمْ noſertom, *adiuti eſtis vos*.

نُصِرْنَا noſerna, *adiuti ſumus nos*, &c.

noſe-

نصرت noſerat, *adiuta eſt illa*, vltima quieſcente.

نصرتِ noſerti, *adiuta es tu*, ultima i,

نصرتا noſerta, *adiutæ ſunt illæ duæ*.

نصرن noſerna, *adiutæ ſunt illæ*, plur.

نصرتنّ noſertonna, *adiutæ eſtis vos*, foem.

Primę perſonæ utriuſque numeri, item ſecundæ duales ubique comm. ſunt.

Perſonæ, quarum ultima eſt littera ت ta, non eodem modo ſunt legendæ; nam ſecundæ, maſcul. gener. ſingul. eſt vocalis A, foemin. eſt I. primæ, eſt V, tertiæ foem. gen. ſing. quieſcit.

Poſt præteritum perfectum, Modhareum coniugant, quod ex præterit. deſumunt. Circa quod ſciendum eſt uerba, quę in pręterito ſunt, trium litterarum, uel plurium hic in modhareo ſibi aſciſcere quatuor litteras, uidelicet ى ie,

ie, ت ta, ا aliph, ن nun, quę الزَّوَائِدُ azzuaedo appellatur, ideſt *addititiæ*, quia initiis uerborum uelut characteriſticę adduntur, quibus additis & uocales uerbi mutantur, & una perſona ab alia diſtinguitur.

Prima itaque ى ie, tribuitur tertiis perſonis maſcul. in omni numer. & tertię plural, foemin.

Secunda ت ta, inſeruit ſecundis perſonis utriuſque gener. in omni numero, & tertię ſingular. foemin.

Tertia ا aliph, primæ ſingular. comm. gener.

Quarta ن nun primę plur. utrius gen. inſeruit, ut ex ipſo paradigmate apparebit. His itaque poſitis.

Sciendum eſt ſecundo verba præterita trium litterarum habentia triplicem vocalem A, vt نَصَرَ naſara. كَتَبَ catsaba, &c. mutare vltimam, & penultimam in vocalem O, & primam ad præcedentem ſuper additam modharei conſonan-

ſonantem transferre, vt ex præterit. نَصَرَ in modhareo dicimus يَنصُرُ ianſoro, & ex كَتَبَ cataba يَكْتُبُ iactobo.

Excipiuntur tamen quædam, quæ in penultima diſcordant; nam quædam in E mutant vt ex ضَرَبَ dharaba يَضْرِبُ iadhrebo.

Excipiuntur etiam, quorum vltima conſonans, eſt vna ex ſex gutturalibus nimirum ا ه ج ح ع غ, quæ in A mutant ut ex مَنَعَ manaa, *probibuit*, يَمْنَعُ iamnao, *probibet*, &c. Idque in uerbis trium litterarum, & non in alijs, & ſolum in modhareo, non alibi.

Sciendum eſt tertio verba trium litterarum, habentia in penultima præterit. uel uocalem E, ut حَسِبَ hhaſeba, *cogitauit*, uel uocalem V, ut حَسُنَ hhaſuna in modhareo, eam conſeruare vt

iah-

يَحْسُنُ iahhſuno, *decorat*, & يَحْسِبُ iahhſebo, *excogitat*.

Excipitur uerbum عَلِمَ *nouit*, quod penultimam in A mutat, ut يَعْلَمُ iaalamo, &c.

Sciendum eſt quarto, uerba quatuor litterarum pura & in ſe addita in modhareo, in prima ſyllaba uocalem O, & in penultima uocalem E recipere, ut ex دَحْرَجَ dahhragia, *uoluit*, يُدَحْرِجُ iodahhregio, *aduoluit*, & ex أَكْرَمَ *honorauit*, يُكْرِمُ iocremo, *honorat*, & ex قَاتَلَ يُقْتِلُ catala, ioqtelo, *occidit*. &c.

Sciendum eſt ultimo, uerba quinque, aut ſex litterarum in modhareo in prima ſyllaba habere uocalem A, more uerborum trium litterarum: in penultima uerò E, more uerborum quatuor litterarum

rum, ut ex إِسْتَخْرَجَ يَسْتَخْرِجُ iaſtachregio, *extraxit*, & ex إِنْقَطَعَ يَنْقَطِعُ.

Excipiuntur ſolùm uerba تَكَسَّرَ يَتَكَسَّرُ *confringit*, item تَبَاعَدَ يَتَبَاعَدُ iatabaado, *elongauit*, & إِحْمَرَّ يَحْمَارُّ *erubuit*, حَمَارَ يَحْمَارُ quæ in penultima habent A.

Modhareum igitur uerborum perfectorum ſic flectitur ſingul. maſc.

يَنْصُرُ ianſoro, *adiuuat*, uel *adiuuabit*.

تَنْصُرُ tanſoro, *adiuuas*, uel *adiuuabis tu vir*.

أَنْصُرُ anſoro, *adiuuo*, uel *adiuuabo*, comm. gener.

Dualis maſc.

يَنْصُرَانِ ianſorani, *adiuuant*, uel *adiuuabunt illi duo*.

tanſo-

تَنْصُرَانِ Tanſorani *adiuuatis* uel *adiuuabitis vos duo.*

Pluſ. maſ.

يَنْصُرُونَ يَنْصُرُوا ianſoruna, & ianſoru *adiuuant* &c. *illi.*

تَنْصُرُونَ تَنْصُرُوا tanſoruna & tanſoru *adiuuatis* &c. *vos.*

نَنْصُرُ nanſoro *adiuuamus* uel *adiuuabimus vos.*

Sing. fœm.

تَنْصُرُ tanſoro *adiuuat*, uel *adiuuabit illa*

تَنْصُرِينَ tanſorina *adiuuas* &c. *tu*, foem.

Dualis.

يَنْصُرَانِ ianſorani *adiuuant* &c. *illæ duæ.*

تَنْصُرَانِ tanſorani *adiuuatis* &c. *uos duæ.*

Plu.

يَنْصُرْنَ ianſorna *adiuuant* &c. *illæ plu.*

tan-

تنصرن tanſorna *adiuuatis* &c.*uos*, foem.

Eodem modo coniugabis omnia uerba ſeruatis ſupra notatis cuiuſcunque ـن quantitatis fuerint.

Verba Paſsiua actiuorum, unde deducuntur, formam coniugandi tenent, preter quam in prima littera quæ uocalis O & in penultima quæ uocalis A, eſse ـن debet ubique in modhareo ut ينصر ionſaro *adiuuatur*, uel *adiuuabitur*.

يدحرج iodahhragio *reuoluitur* &c.

يفرح iofarrahho, *lætificatur*.

يستخرج ioſtahhragio, *extrahitur*, &c.

Ex his colligitur in modhareo tertiã perſonam fœm. ſing. non diſtingui à ſecunda maſ. ſing. vtrobique enim eſt tanſo-

تنصُر tanſoro:nec tertiam dualem fœm.

a ſecundis eiuſdem Dual. vtriuſque gen.

تنصُران tanſorani, *adiuuatis*, vel *adiuuabitis vos duo*, vel *vos duæ*, uel *illæ duæ*. ſolum enim ex præcedentibus, aut conſequentibus loquentis perſona dignoſci poterit.

Præter ea, quæ de modhareo diximus, adhuc ſunt quædam aduerbia & negationes, quibus interdum vti ſolemus, quæ appellantur الجوازم algiauazemo, ideſt *correptiones*; quia quandocunque alicui uerbo ſociantur, ultimam uocalem illius demunt, & conſonantem ad pręcedentem ſyllabam retrahunt, & ex his nonnullę unum, nonnullę duo, uel plura uerba corripere ſolent, quę unum corripiunt ſunt ſex, quarum

Prima eſt لم lam, ideſt, *non*, ut

lam

لَمْ يَقُمْ lam iaqom non ſurrexit, & licet verbum ſit modhareum, illius tamen ſenſus ad præteritum tranfertur.

Secunda eſt لَمَّا lama, ideſt *non*, vt

لَمَّا يَضْرِبْ *non percutiet.*

Tertia eſt إِلَمْ elam non, vt إِلَمْ يَشْرَحْ clam iaſrohh *non narrabit.*

Quarta eſt إِلَّا *donec*, vt

إِلَّا أَحْسَنَ إِلَيْكَ elmahhſanolaica, *donec beneſaciam tibi.*

Quinta eſt لَامْ, ideſt littera lam imperatiui, ut لِيُنْفِقْ le anfoq, *exſoluat.* huic ſimilis eſt lam ſubiunctiui, quando ſignificat ut, ueluti لِيَقُصَّ عَلَيْنَا liaqos alaina *vt ennarret nobis*, ſed de hac littera ſuo loco inferius.

Sexta eſt, لَا, la ideſt *ne* prohibitionis

لَا تَخَفْ la tachaf *ne timeas*.

Quæ duo vel plura verba corripiunt, ſi ſunt continuata,& copulata,ſunt autem duodecim.

Prima eſt إِنْ enn, ideſt, *ſi*, vt

إِنْ قَامْ قُمْتُ *ſi ipſe ſteterit, & ipſe ſtabis*, prę̨t. pro fut. ſumitur.

Secunda eſt مَا ma, vt

مَا يَكْتَبْ وَلَا يَكْتُبْ ma iactab uala iactob, *non ſcribit nec ſcribat*.

Tertia eſt مَنْ mena *quis*, vt

مَنْ يَعْمَلْ سَوَايُجْزْ mena iamolſauan iogiaz *qui malum fecerit retribuetur ei*.

Quarta eſt مَهْمَا *donec*, vt

مَهْمَا يَاتْ يُخْبَرْ *veniat annunciare*.

Quinta eſt إِذْمَا edma, ideſt *dum*, vt

إِذْمَا تَاتِى تَجِدْ *dum venies reperies*.

Sexta

Sexta eſt اَيَّ aiia *quodcunque*, vt

تَعَالَى اَيَّ مَاتُدْعُوا *venite quicunque eſtis uocati*.

Septima eſt مَتَى *dum*, vt

مَتَى اِضَعْ تَخْبَرْ *dum exponam ſcies*.

Octaua eſt ايان *donec*, vt

أَيَانَ نُعْدَلُ تَنْزِلُ *donec perficiatur, deſcēdet.*

Nona eſt اين aina *vbi*, vt

اَيْنَ مَاكَانَ يَمُوتْ *vbicunque ſit morietur*

Decima eſt أَنَّى anaa, *ſi*, vt

أَنَّى تَاتِهَا تَسْتَجِرْ بِهَا *ſi adducet illud ditabitur in eo*.

Vndecima eſt حَيْثُمَا *dummodo*, vt

حَيْثُمَا تَسْتَقِيمْ يَقْدِرْ *dummodo recta incedas bene erit*.

 Duo-

Duodecima eſt كَيْفَمَا caiſama *quomodocunq*. vt كَيْفَمَا تَجْلِسْ اجلس *quocunque modo ſederis, ſede.*

Præterea sũt alia decẽ aduerbia & negationes, quæ non demunt vltimam ſed uocalem eius O, mutant in A, ideo uocantur أَلنَّوَاصِبُ annuaſebo, ideſt *erectiones*, harum

Prima eſt أَنْ ideſt *vt, ſi, quod,* &c. vt أَنْ يَنْصُرَ ann ianſora, *vt adiuuet*, vel *ſi adiuuet*, &c.

Secunda eſt لَن len, ideſt *non*, prohibitionis, vt لَنْ يَضْرِبَ *non percutiet*. Solet etiam expellere vltimam litteram ـن nun à perſonis maſculin. plural. vt ex يَنْصُرُونَ & تَنْصُرُونَ dicimus, لَنْ يَنْصُرُوا non autem a fœmin. plural. dicimus enim

nim لَنْ يَنْصُرَنَ & لَنْ تَنْصُرَنَ .

Tertia eſt littera ل lam, ſed non imperatiui, de qua ſupra: neque ſubiunctiui, ſed participii, cum nimirùm ſignificat ad, vt جَاءَ لِيعَذِّبَ اَوْلِيَغْفِرَ *venit ad puniendum, aut ad parcendum.*

Quarta eſt حَتَّى *vt*, veluti حَتَّى يَرْجِعَ *vt redeat*. Aliquando ſignificat etiam donec, vt *donec redeat*.

Quinta eſt أَلْعَلَّ *vtinam*, vt الْعَلَّ يَنْصُرَ *vtinam adiuuet*.

Sexta eſt هَلَّ *forſan*, vt هَلَّ يَنْصُرَ *fortaſse adiuuabit*.

Septima eſt prima perſona ſingularis modharei, cum aliqua perſona imperatiui adiuncta, vt أَقْبِلْ أُكْرِمْ عَلَيْكَ *recipe, honore te proſequor.*

Octaua eſt perſona imperatiui, vnita cum perſona modharea vt لاتخاصم فيغضب *ne diſputes, quoniam iraſcetur.*

Nona eſt verbum perſonæ deprecantis, vt ربى انصرنى احلص *domine mi adiuua me, ſaluus ero.*

Decima eſt ليت laita, ideſt *non*, vt ليت لى مالا فتصدق *nonſunt mihi bona, vt benefiat tibi.* Excipiuntur perſonæ habentes litteram و uau in penultima, vt لم تنصروا, & ى ie in vltima, vt ما تخافى *non times.*

Poſt Modhareum imperatiuus modus ſequitur, qui ab ipſo modhareo formatur: abiecta enim littera ى ie characteriſtica modharei, & ultima correpta; ſi prima verbi habuerit vocalem, nihil mutat in imperatiuo, vt ex يدحرج iodahhregio ablata io modharei

& gio

& gio vltima remanebit دَحْرِجْ dahhreg, qui eſt imperatiuus.

Si verò prima uerbi nullã vocalẽ habeat aſciſcit ſibi litteram aliph. & vocalem E, dummodo ſecunda radicalis verbi non habeat vocalem, O, veluti ex يَضْرِبُ iadhrebo dicimus اِضْرِبْ hedhreb. vltima correpta; ſic & اِعْلَمْ & اِنْقَطِعْ &c.

Si ſecunda radicalis habeat uocalem, O, & prima radicalis ſibi quoque aſciſcet aliph. & pro uocali E, ſumet uocalem O, ut اُنْصُرْ onſor, pro اِنْصُرْ enſor.

Verba paſſiua, dempta ultima, actiuorum more, in prima ſumunt uocalem, O cum aliph in uerbis trium litterarum, in uerbis autem quatuor litterarum, uocalem, O, ſine aliph; in penultima uero uocalem, A, ut in eorum modhareo; ue-

luti a نُصَر noſaro; dicimus أُنْصَر onſar *adiuuare*, & دُحَرج dohhrag.

Paradigma imperatiui actiuorum quatuor, aut plurium litterarum.

Sing. maſ. دَحْرِج dahhreg *aduolue*.

Dualis دَحْرِجا dahhrega *aduoluite vos duo*.

Plu. maſ. دَحْرِجوا dahhregu *aduoluite vos*

Foem. ſing. دَحْرِجى dahhregi *aduolue tu*

Dualis دَحْرِجا dahhrega *aduoluite uos duæ*.

Plu. دَحْرِجن dahhregna *voluite uos*

Verba quæ in prima ſumunt uocalem E, cum aliph.

Sing. maſ. إضْرِب edhreb *percute*.

Dua-

Dualis اضربا edhreba *percutite uos duo.*

Plu. maſ. اضربوا edhrebu *percutite.*

Sing. foem. اضربى edhrebi *percute.*

Dualis اضربا edhreba *percutite uos duæ*

plu.foem. اضربن edhrebna *percutite vos*

Eodem modo inflectuntur verba

اعلم elam ſcito, انقطع enqatee abſcinde

اجتمع egtamee congrega, استخرج eſta chreg. extrahe, &c.

Actiuorum trium litterarum.

Verba, quæ in prima aſſumunt uocalem, O, cum aliph, quia ſecunda eorum radicalis eam habebat.

Sing. maſ. انصر onſor *adiuua.*

Dual. انصرا onſora *adiuuate duo.*

plu. انصروا onſoru *adiuuate*

Sing.

Sing. foem. أنصري onſori *adiuua*.

Dual. أنصرا onſora *adiuuate duæ*.

Plu. foem. أنصرن onſorna *adiuuate* plu.

Paradigma paſsiuorum.

Sing. maſ. دحرج dohhrag. *uoluere*.

Dual. دحرجا dohhraga *uoluamini duo*.

Plu. دحرجوا dohhragu. *uoluamini* plu.

Sing. foem. دحرجي dohhragi *uoluere*.

Dualis دحرجا dahhraga, *uoluamini duæ*

Plu. دحرجن dohhragna *uoluamini*.

Eodem modo انصر onſar *adiuuare* أجتمع ogtama *congregare* أستخرج oſtachrag. *extrahere* & ſimilia.

De imperatiuo in communi.

Primo ſciendum eſt tertias perſonas utriuſ-

utriuſque gen. eaſdem eſse omnino quæ modharei cum characteriſticis ipſius ultima uocali ablata.

Secundo imperatiuo tribui litteram ل lam, cuius proprium eſt perſonas modharei tranferre ad imperatiuum per detractionem ultimæ uocalis, ut ex يَنْصُرُ ianſoro dicimus لِيَنْصُرْ leianſor adiuuet ille لِتَنْصُرْ letanſor adiuuet illa &c. Secūdis uerò, aut primis perſonis modharei non facilè tribuitur lam.

Tertio imperatiuum non poſse recipere negaationes correptrices, de quibus ſupra diximus, non enim dicimus لا تُدَحْرِجْ la dahhreg in ſecunda imp. non uolue. Neque naſebo, ut اَنْ اَنْصُرَ annonſora, ſed tùnc ipſas modharei perſonas pro imp. ſumendas eſse, ut.

Sing.

Sing, maſ. لَا يَنْصُرْ la ianſor *non iuuet*.

Secunda ſing. لَا تَنْصُرْ la tanſor *ne iuues*.

Prima com. لَا أَنْصُرْ la anſor *ne iuu:m*.

Dualis لَا يَنْصُرَانِ la ianſorani *ne iuuẽt duo*

Du. 2. لَا تَنْصُرَانِ la tanſorani *ne iuuetis duo*.

Plu. لَا يَنْصُرُوا la ianſoru *ne iuuent illi*.

Plu. ſecund. لَا تَنْصُرُوا la tanſoru, *ne iuuetis vos*.

Plu. primæ لَا نَنْصُرْ la nanſor *non iuuemus*.

Sic & cum Haſebo ut لَنْ يُدَحْرِجَ

lã iodahhrega لَنْ تُدَحْرِجَ lan todahhrega *non uoluas* &c. ita in reliquis verbis, & perſonis.

Quarto, imperatiui, & futuri perſonis,

nis, non autem præteriti, aut præſentis, cum diſtinguitur à fut. intexi ſolere in litteram ن nun, quæ التَّأْكِيد attachidi appellatur, ideſt confirmationis, atque impreſsionis, cum aliquid ita aſseueranter confirmamus, ut quaſi ſigillo imprimere uolemus: volumus enim omnimodè rem imperatam fieri. utimur autem iſta littera, vel cum grauaminis nota, uel ſine: cum nota quidem ut يَنْصُرَنَّ iansoranna, iuuet omnino ille, ſine nota uero, ut يَنْصُرَنْ ianſoran iuuet ille omnino, cum adeſt nota, uocatur أَلثَّقِيلَة ن nun atthqilato, ideſt, nun grauis, & ſemper mobilis eſt: Cum abeſt nota uocatur أَلْخَفِيفَة ن nunalchafifato, ideſt leuis & ſemper quieſcit;

Per-

Perſonæ vero habentes in fine nun radicalem, vt ſunt ſecundæ, & tertiæ Plu. vtriuſque gen. & ſecunda ſing. foem. & Duales futuri, leuem quidem ن nun reſpuunt; grauem autem admittunt, ſed prius reiectis و uau & ى ie, præcedentibus, ut pro يَنْصُرُونَ dicimus يَنْصُرُنَّ ianſoronna cum uocali O, in penultima & pro تَنْصُرِينَ tanſorinna dicimus تَنْصُرِنَّ cum uocali, I, tanſorinna ſine, ى, niſi fuerit ante eas vocalis A, ut لَا تَخْشَوُنَّ la tachſciauanna, *ne timeatis*, & لَا تَخْشَيِنَّ la tacheſciainna, *ne timeas mulier*

Tertia uerò, & ſecunda plurales foemininæ inter nun radicalem, & nun grauem aliph interponunt; ne detur concurſus duarum nun; vt انْصُرْنَانِّ onſornanni *adiuuate uos* plu. & يَنْصُرْنَانِّ ianſornanni

iuuent

iuuent omnino illæ,cum uocali,i ſub ن nun more dualium.

Dualis grauat ſuam radicalem,vt

تَنْصُرَنِّ يَنْصُرَانِّ &c. ultima radicalis verbi ante tales nun, ſolet eſſe uocalis A, exceptis perſonis iam dictis: præterea perſonis tales litteras habentibus, littera lam imperatiui ſolet interdum adſcribi, vt

لِيَنْصُرَنَّ leianſoranna, *iuuet ille omnimode*

لِيَنْصُرَانِّ leianſoranni *iuuent illi duo*

لِيَنْصُرُنَّ leianſoronna *iuuent illi*

لِتَنْصُرَنَّ letanſoranna, *iuuet illa*,

لِتَنْصُرَانِّ letanſoranni *iuuent illæ duæ*

لِيَنْصُرْنَانِّ leianſoranni *iuuent illæ*,

Eodem modo & cum ن nun leui,ut. leian-

لينصرن leianſoran, *iuuet ille omnino.*

لينصرن leianſoron, *iuuent illi omnino.*

Interdum loco lam aliqua negatio, ut

لا تنصرن *ne omnino iuues*, interdum nihil idque in perſonis imperatiui, ut

انصرن anſoranna *iuua tu omnimode.*

انصرن onſoranni *iuuate uos duo.*

انصرن onſoronna *iuuent illi.*

انصرن onſorinna *iuua tu mulier.*

انصران onſoranni *iuuate uos dua.*

انصرنان onſornanni *iuuate uos* plu.

Et cum ن nun leui.

انصرن onſoran *iuua tu uir.*

انصرن onſoron *iuuate vos.*

Eodem modo ſe habent omnia verba cuiuſcunque quãtitatis & qualitatis ſint.

De

De nomine verbali. CAP. II.

EX Modhareo formatur nomen, quod nos participium vocaremus, quia variat vltimam ſuam vocalem per caſus, more nominum, dualem tamen & plur. num ad inſtar verborum habet, caſuſque ſui verbi admittit, & interdum pro ipſo modhareo vſurpatur: Arabes tamen أَسْمَ الْفَاعِلْ aſmal faelo illud appellant, ideſt *nomen agens*, ſiue *ipſum nomen ſubſtantiuum*. Eſt autem huiuſmodi verbale, ſiue participium triplex, nimirum Actiuum, & vocatur أَسْمَ ٱلْفَاعِلْ *nomen agens*: Paſsiuum, & vocatur أَسْمُ ٱلْمَفْعُولْ aſmol mafulo, ideſt *nomen paſsiuum*. Commune, & vocatur أَسْمُ ٱلْمُتَسوِّىْ aſmol motſauio, ideſt *nomen*

æquale, quod tam actiuum eſt, quàm paſsiuum. Formatur autem tam à verbis trium litterarum, quàm à plur. puris, vel in ſe additis. Actiuum, quod à verbis trium formatur, eſt veluti نَاصِرٌ naſeron, *iuuans*, & *adiutor* maſcul.

Dual. نَاصِرَانِ naſerani, *duo adiutores*, & *duo iuuantes*:

Plur. نَاصِرُونَ *adiuuantes*, & *adiutores*. vel نَاصِرِينَ mutata و in ى. vt ſẽper in hũi fit.

Verbalia foem. aſciſcunt ſibi ة h & in penultima A, vt نَاصِرَةٌ naſeraton, *adiuuatrix*, & *adiuu ans*.

نَاصِرَتَانِ naſertani, *duæ adiutrices*.

نَاصِرَاتٌ naſeraton, *adiutrices*, & نَوَاصِرُ naſeron. Sic formantur omnia participia actiua tam maſc. quàm foem. per additionem

tionem aliph poſt primam radicalem, vel نَصَّارٌ naſsaron, كَتَّابٌ cum aliph in penultima & taſcdid Idque ſolum in trium litterarum verbis, & non in aliis, nam reverba quatuor litterarum pura ا aliph recipiunt in penultima, vt دَحْرَاجٌ; ſi ſint in ſe addita in prima requirunt م mim, in media ا aliph, vt ex تَدَحْرَجَ tadahhraga, *voluit*, fit مُتَدَاحْرِجٌ *voluens*.

Verbalia paſsiua trium litterarum formantur, velut مَنْصُورٌ manſuron *adiutus*.

مَنْصُورَانِ manſurani, *adiuti duo*.

مَنْصُورُونَ manſuruna, *adiuti*.

Foem. cum ه h,& penultima vocali A,

مَنْصُورَةٌ manſuraton, *adiuta*.

مَنْصُورَتَانِ manſuratani, *adiutæ*.

مَنْصُورَاتٌ manſuraton, *adiutæ*.

Dicimus etiam aliquando in plur. foemin.

min. مَنَاصِرٌ manaſeron : per additionem autem litterarum م mim in principio dictionis, & و vau in penultima, formantur ferè omnia verbalia paſsiua trium litterarum; ſi quod autem nomen verbale actiuum incipiat à mim, cum fit paſsiuum duplicat, ut ex مَادِرٌ, fit مَمْرُورٌ mamruron, *tranſlatus*, & ex مَاسِكٌ maſecon, *tenens*, مَمْسُوكٌ mamſucon, *retentus*.

Participia actiua, quæ fiunt à uerbis quatuor literarum, uel plurium, ſunt, ut

مُدَحْرِجٌ modahhregon, *reuoluens*.

مُدَحْرِجَانِ modahhregani, *voluentes duo*.

مُدَحْرِجُونَ modahhreguna, *voluentes*.

مُدَحْرِجَةٌ modahhregaton, *voluens*,

مُدَحْرِجَتَانِ modahhregatani, *voluẽtes duæ*

modahh-

مُدَحْرِجَاتٌ modahhregaton, *voluentes*.

Dicimus etiam مُوَدَحْرِجٌ mauadahhregon, *voluentes illæ*.

مُكْرِمٌ mocremon, *honorans*.

مُسْتَخْرِجٌ moſtachregon, *detrahens*, &c.

Formantur autem hæc participia actiua, primo per additionem م mim, cum uocali O, & penultimæ tribuentes uocalem E, in foem. uerò uocalem A.

Participia paſsiua ſunt ueluti

مُدَحْرَجٌ modahhragon, *reuolutus*.

مُدَحْرَجَانِ modahhragani, *reuoluti duo*.

مُدَحْرَجُونَ modahhraguna, *reuoluti*.

مُدَحْرَجَةٌ modahhragaton, *reuoluta illa*.

مُدَحْرَجَتَانِ modahhragatani, *reuolutæ duæ*.

مُدَحرَجَاتٌ Modahhragaton *reuoluta*;

Participia paſsiua ab actiuis ſolum in penultima differunt, quia in actiuis eſt uocalis E, in paſsiuis, uocalis A.

Participia communia; cum nimirum eadem uox modo actiua, modo paſsiua eſt ſunt ueluti.

مُختَارٌ Mochtaron *eligens* uel *electus*.

مُجَابٌ Mogabbon *coagulans*, uel *coagulatus*.

مُتَخابٌ Motchabbon, *abſcondens*, ue *abſconditus*.

Excipitur uox رَحِيمٌ rahhimon *miſerator*, quæ actiua tantum eſt, & قَتِيلٌ qatilon *occiſus*, paſsiua; cum tamen eadem ſit vtriuſque forma.

Particia foem.com.nõ differunt a maſ. niſi ſola ة h Dualia eadem quæ ſupra: &c. ſi quæ ſunt alia verbalia, quæ ſuperioribus non cohæreant, & pauca ſunt,

& uſu

& uſu diſcenda erunt. Omnia verbalia caſus ſuorum verbooum poſtulant.

De verbis duplicantibur ſuas radicales CAP. III.

HAbent Arabes, ſicut Hebr. quædam uerba quæ inter coniugandum, modo primam, & tertiam modo ſecundam, & tertiam habẽt ſimiles & talia ſunt uel ternaria pura, & in ſe addita, uel quaternaria.

Ternaria tum pura, tum in ſe addita habent ع aino & ل lam, nimirum ſecundam & tertiam ſimiles ut رَدَدَ radada, *redijt*, & أعْدَدَ *parauit* uel *tranſiuit*.

Quaternania habent primam, & tertiã ſecundam, & quartam similes ut زَلْزَلَ zal zala *commo⁎t* ideo uocantur الْمُتَابِقَة almottabeqato, ideſt *concordata*, quia concordant litteris.

Circa

Circa hæc uerba, Primo eſt ſciendum quando notam grauaminis habent, in ſolis tertiis perſonis utriuſq. num. maſ. gen. & in Duali earundem eam retinere, in ſecūdis uero reſpuere excepto imper. cum nota tacetur, uocari مُدْغَمًا modgaman, quæ uerò actu habent notam vocari مُدْغَمًا فِيهِ modgama ſihi, ideſt, *habens notam*. Hinc eſt, quod vocentur aliquando الأَصَمَّة alaſſammato, ideſt, *ſurda*: quia non audiunt radicalem occultam grauamine, vt eſt رَدَّ radda, & أعَدَّ aadda.

Seccundo ſciendum eſt, nonnulla uerba imperfecta eſſe; cenſeri, quia mutant ſuas radicales in alias dum iflectunctur, ut cum dicimus أَمْلَيْتَ amlaita, pro أَمْلَلْتَ amlalta, *impleuiſti*.

Tertio ſciendum eſt cum hæc uerba recipiunt negationes correptrices imperatiui, ultimam uocalem habere A. penultima

nultima verbi permanente, ſiue fuerit A, ſiue O, aut, E, vt لَمْ يَفِرَّ lam iaferra, *non volabit*, & لَمْ يَعَضَّ lam iaaddha, *non mordebit*, & لَمْ يَمُدَّ lam iamodda &c. Atsi dematur nota, ultimam corripi, vt لَمْ يَفْرِرْ lam iafrer لَمْ يَعْضَضْ lam iadhadh, لَمْ يَمْدُدْ lam iamdod, &c.

Paradigma.

Sing. maſ. مَدَّ madda *extendit*.

مَدَدْتَ madadta *extendiſti*.

مَدَدْتُ madadtu *extendi*.

مَدَّا madda *extenderunt duo*, cum aliph. finali.

مَدَدْتُمَا madadtoma *extendiſtis duo*, uel *duæ*.

مَدُّوا maddu *extenderunt*.

mada-

مَدَدْتُمْ madadtom *extendiſtis*.

مَدَدْنَا madadna *extendimus*.

مَدَدَتْ madadat *extendit illa*.

مَدَدْتِ madadti *extendiſti*.

مَدَدْتَا madadna *extenderunt duæ illæ*.

مَدَدْنَ madadna *extenderunt illæ*.

مَدَدْتُنَّ madadtonna .*extendiſtis uos*.

Paſsiuorum præteritum.

مُدَّ Modda *extenſus eſt*.

مُدِدْتَ modedta *extenſus es*, cum e in ſecuuda.

مُدِدْتُ mod edto extenſus ſum.

مُدَّا modda *extenſi ſunt duo* cum l finali.

مُدُّوا moddu *extenſi ſunt illi*.

مُدِدْتُمَا modedtoma *extenſi eſtis duo*, uel *duæ*.

mo-

مُدِدتُم modedtom *extenſi eſtis*.

مُدِدنَا modedna *extenſi ſumus*.

مُدَدَت modadet *extenſa eſt illa*.

مُدِدتِ modeeti *eſtenſa es*.

مُدِدتَا modedta *extenſæ ſunt illæ duæ*.

مُدِدنَ modedna *extenſæ ſunt illæ*.

مُدِدتُنَّ modedtoma *extenſæ eſtis uos*.

Modhareum.

يَمُدُّ iamoddo *extendit* uel *extendens*.

تَمْدُدُ tamdodo *extendis*, uel *extendens*.

أَمْدُدُ amdodo *extendo* uel *extendens*.

يَمَادَّانِ iamaddani *extendunt* &c. *illi duo*.

tam-

Digitized by Google

تَمْدُدَانِ tamdodani, *extenditis duo*, uel *duæ*.

يَمُدُّونَ iamodduna, *extendunt illi*.

تَمْدُدُونَ tamdoduna, *extenditis vos*.

نَمْدُدْنَا namdodna, *extendimus*.

تَمْدُدُ tamdodo, *extendit illa*.

تَمْدُدِينَ tamdodina, *extendis tu*.

يَمْدُدْنَ tamdodna, *extendunt illæ*, reliqua, ut ſupra in maſcul.

Paſsiuum Modhareum.

يُمَدُّ iomaddo, *extenditur*, &c.

تُمْدَدُ tomdado, *extenderis*.

أُمْدَدُ omdado *extendor*.

يُمَدَّانِ iomaddani. *extenduntur duo*.

تُمْدَدَانِ tamdadani, *extendimini duo* :

iomad-

يُمَدُّوا iomaddu, *extenduntur*.

تُمْدَدُوا tomdadu, *extendimini*.

تُمْدَدْنَا tomdadna, *extendimur*, & ſic in aliis.

Imperatiuus.

مُدَّ modda, *extende*.

مُدُّوا moddu, *extendite*.

مُدِّى moddi, *extende*.

مُدَّنَ moddona, *extendite*.

Dicimus etiam أُمْدُدْ amdod, *extende*, فِرَّ ferra, & أُفْرِرْ afrer, *aduola*, عَضَّ ad-

dha, & اِعْضَضْ adhadh, *morde*, &c.

Paſſiua in imp. ſunt ut مَدْ mad, *extendere*, ex his fiunt uerbalia actiua, ut مَادٌّ maddon, *producens*, in Dual. مَدَّانِ

mad-

madanni plu. مَادُّونَ madduaa fœm. مَادَّةٌ maddaton مَادَّتَانِ madatani

مَادَّاتٌ maddaton مَوَادٌّ mauaddon *produ-centes*. paſsiua مَمْدُودٌ mamdudon *ex-tenſus* &c.

De Verbis Defectiuis. *CAP. IV*.

VERBVM deffectiuum vocatur اَلْمُعْتَلّ almootallo dicitur autem defectiuum, quia in eius compoſitionem ingredi ſolet aliqua littera ex defectiuis quæ ſunt ا aliph, و uau, & ى ie: uocantur uero hæ litteræ defectiuæ, quia facile inter coniungandum deficiunt, & una in aliam mutatur, ideo etiam ſæpe dici ſolent حُرُوفُ ٱلْمَدّ hhorupholmedda, idest

ideſt *litteræ productionis* وَالَّيْن uallaina *& molles*, quia fluunt, & una ad aliam ſe extendit.

Hoc autem uerborum genus,& trium, & plu. litterarum eſſe poteſt: item, uel purum, uel in ſe additum; eiuſque prima radicalis uocatur ف phe, ſecunda quæ eſt mobilis ع ain, & Tertia ل lam. ut ſupra de perfectis diximus. Horum autem uerborum quinque ſpecies repe-riuntur.

Prima eſt eorum, quæ habent primam radicalem ex litteris defectiuis ut eſt إتَّعَدَ ettaada *congreſſus eſt* & وَاعَدَ ua-ada *promiſit* &c. Coniungantur autem hæc uerba more perfectorum tam in præterito,quà modhareo,præterea,quorum penultima eſt uocalis, e, & primalittera و uau hæc .n. reiiciunt و uau in modhareo vt pro يُوعِدُ iauedo, dicimus يَعِدُ iaedo.

Item

